PORPHYRII PHOENICIS, clarissimi philosophi,

DE QVINQVE VOCIBVS INSTITVTIO, BOETIO INTERPRETE, VNA CVM AMMONII HERMAEI IN EANDEM commentario.

Additæ sunt passim ex Boetio, quorundam locorum enodationes. quibus omnibus accesserunt luculenta viri cuiusdam, vt docti ita acuti Philosophi scholia, ad locorum difficilium explanationem: quæ vbique sub hanc notam * ad marginem, reperies.



PARISIIS

Apud Ioannem Roigny, sub quatuor elementis, in via quæ est ad D. Iacobum.

1543

Ammonii Hermæi in Porphyrii Institutiones

Præfatio.

CVm hoc nobis loco propositum sit philosophiæ tractationem auspicari, necesse est in primis quid tandem sit philosophia intelligere. Nam qui rem aliquã aggreditur, principiò quid ea sit nosse debet. Ita enim studiosiùs eam persequetur. Porrò autem res ipsas definitionibus cognoscimus. At quî fieri potest, vt rem definitione teneas, si quid sit definitio ignores? Definitio ergo, breuis est & circunscripta oratio, quę id quod definitur explicat quid sit. *Definitio quid* Dicitur autem definitio, metaphora ab agrorum finibus sumpta. Nam vt illi locum à loco distinguunt, ac separant: sic vniuscuiusque rei vim atque naturam definitiones complectuntur, & ab aliis omnibus seiungunt. Cõstituenda igitur nobis est philosophiæ definitio. Quemadmodum & cùm primùm Grammaticæ operã dedimus, eius quoque didicimus definitionem: nempè eam peritiam esse eorum, quæ magnam in partem à poëtis ac rerum scriptoribus dicerentur. Eodemque modo cùm ad Rhetoricen accessimus, eius definitionem intelleximus: eam scilicet esse facultatem quandam arte perfectam, quæ in oratione ea versetur, quę valeat & pertineat ad fidem in caussa ciuili faciendam: cui finis propositus sit benè dicere. Aequum est igitur philosophiæ definitiones reddere, cùm ab hoc ipso capite fluere definitionum vis perspiciatur, hæcque reliquis artibus atque scientiis definiendi rationem suppeditet. Principiò ars omnis rem sibi subiectam quampiam atque extremũ habet. Subiectum, id est, in quo ipsa versatur atque elaborat. *Subiectũ quid.* Extremum verò atque vltimum id vocamus, quod ipsa efficere nititur, *finis quid.* quoq; sua refert omnia: vt, verbi caussa, sibi medicina subiecta corpora humana habet, quia in his suum ipsa studium consumit: extremum verò, valetudinem, quãdoquidem summam curam & diligentiam eò confert, vt ea secundæ valetudini restituat. Itemque Architectus subiecta sibi ligna habet, finemque abacum ædificare. Definitiones itaque aut à re subiecta, aut à fine atque vltimo, aut ab vtroque etiam ducuntur. A subiecta re, vt cùm dicimus, medicina ars est, quæ in corporum humanorum cognitione cernitur. ab extremo, vt cùm dicimus, medicinam esse efficientem secundæ valetudinis. ab vtroque, vt si dicamus eam artem esse, quæ operæ multum in corporum humanorum cognitione ponat, quæque ipsis prosperam afferat valetudinem. Atque ita etiam Astronomia ars est, ac subiecta sibi cælestia habet corpora, finemque eorum motus atque conuersiones intelligere. Quodnam igitur sit Philosophiæ subiectũ, quique eius finis videamus, atque ita demum eius reddere definitionem poterimus. Operæ igitur est precium intelligere reliquas scientias atq; artes in rebus quibusdam singulis versari: vt fabrilem in lignis, Astronomiam in corporibus cælestibus: solam autem philosophiam in naturis omnibus elaborare. Eius porrò extremũ non actio est, sed cognitio. *Philosophiæ definitiones.* Itaque philosophiæ multæ sunt definitiones: eam enim variis modis veteres definierunt. Verùm ne contentiosis ac culpandi cupidis hominibus importunæ reprehensionis hoc tempore ansam exhibeamus, id in alium sermonem est differendum: cumulateque omnium voluntati satisfactum, opinor, fuerit, si ad nostrum vsum quinque, aut paulò plures, ex vniuerso earum numero adhibuerimus. Duæ ergo à subiecto, totidemque à fine, vna ab excellentia præstantiaque eius ducitur, atque ex verbi notatione altera. Est ergo hæc prima eius definitio. *Prima.* Philosophia est rerum quia res sunt cognitio. Illud verò, quia, quatenus res sunt in hoc quidem genere valet atque efficit. Neque enim id philosopho est propositum, vt omnes homines quotquot in ipso degunt vniuerso singulatim cognoscat: contentusque esse debet, si vniuersam illam ac generalem hominis naturam cognitam perspectamque habuerit: siquidem rei vniuscuiusque naturam philosophus statumque intuetur. Iam verò Plato hanc philosophiæ definitionem tradit. *Secunda Platonis.* Philosophia est rerum diuinarum atque humanarum caussarumque quibus hæc continentur cognitio. quam eandem cum superiore esse perspicuum est, atque ab illa facilitate sola obscuritateque dissentire. Naturam enim bipartito in diuinam atque humanam distribuit: eamque quæ perpetua atque immortalis est, diuinam appellauit: quæ verò in ortu atque interitu posita est, humanam. Ac prima quidem hæc definitio ducta à subiecto est, solaque, vt dixi, obscuritate atque facilitate à superiore discrepat. *Duplex alia Philosophiæ definitio.* Est etiam alia philosophiæ à fine desumpta definitio, quæ ait, philosophiam dei esse similitudinem quoad natura humana patitur. Nam deus duplici est actione

instructus atque ornatus, cognitionis vna, qua res omnes intelligit, veluti poëtæ declarant cum inquiũt, θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασι, hoc est, at cælestes omnia norũt: atq; prouisionis altera, qua huius vniuersitatis saluti consulit, & eius quadam procuratione tenetur, ob eamq́; caussam poëtæ aiunt θεοὶ δωτῆρες ἑάων, id est, dispensant commoda diui. At verò philosophus vtroque modo se deo quàm simillimum studet efficere. Nam & in vniuersi contemplatione versatur: res enim omnes intuetur atque consyderat: & rerum procuratione quadam ducitur, ac labentibus rebus consulit. Philosophi enim ij, qui vitæ degendæ rationem ciuilem atque popularem sequuntur, iudicant, legesq́ue dictant: vt iure, philosophiã dei esse similitudinem, dictum fuisse videatur. Porrò id, quoad natura humana patitur, haudquaquam inscitè est adiectum: siquidem

οὔ ποτε φῦλον ὁμοῖον
Ἀθανάτων τε θεῶν, χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων.
Simili nunquam sub stirpe tenentur
Mortalesq́ue homines, ac diui morte carentes.

Nam quæ ex natura constant diuersa, diuersas quoque perfectiones sortiuntur: idque in reliquis quoque animantibus perspici licet. Quia enim homo atque equus diuersam habent naturam, idcirco diuersam etiam perfectionem obtinent. Hominis enim perfectio est, vitam ex prudentia ac conuenienter rationi agere: equi verò, vt velocitate ad cursum, atq; viribus ad præliorum contentiones valeat. Quinetiã in animantibus iis quæ rationis expertia sunt, magnæ, vt naturæ, sic perfectionũ dissimilitudines insunt: alia enim est canis atq; alia equi perfectio. Atqui si in his à naturæ diuersitate perfectionũ quoq; oriuntur dissimilitudines, multò id in deo atq; homine faciliùs elucebit. Quoniam igitur magna in his inest naturæ differentia, meritò diuersis ea quoq; perfectionibus prædita sunt. Scitè ergo quoad natura humana patitur, additum est. Quamobrem philosophia dei est similitudo, quoad natura humana patitur. Cæterùm qua ratione adductus, sic Philosophiam definierit Philosophus, videamus.

Quare ita Plato Philosophiã definierit.

Quoniã duplex, vt dixi, deo facultas adest: cognitionis vna, atq; altera actionis: duplex quoque ea nostris in animis hæret: altera scilicet quæ in rerum cognitione atque contemplatione versatur: altera cuius opus omne est in agendo. Philosophus verò vtranque animi partem ad numinis conatur similitudinem exornare: alteram, cùm quę sit vniuersi natura intuetur atq; consyderat: alteram, dum perturbationes animi virtuti non cõsentaneas moderatur atq; temperat: cæterisq; suis ipse rationibus prospicit: meritò Plato Philosophiam dei similitudinem, quãtum hominis natura ferat, esse definiuit. Atque ab extremo etiam ipso ac vltimo alia duci definitio solet, hoc modo: Philosophia mortis est commentatio. Sed quoniam definitio hæc Philosophiam mortis commentatione circunscribit atque terminat, quemnam ea mortis cõmentatio habeat intellectum, etiam atque etiam videndum est. Quidam enim Cleombrotus nomine, cùm perlecto Platonis Phædone, Philosophum mortem meditari debere didicisset, quaq́ue id fieri ratione deberet esset nescius, reuersus de numero præcipitem se in mare abiecit. Quod indicat Epigramma quo in Ambracioticon puerulum lusit poëta, ad hunc modum.

Εἴπας ἥλιε χαῖρε, Κλεόμβροτος Ἀμβρακιώτης
Ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἀίδου·
Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακόν, ἀλλὰ Πλάτωνος
Ἕν, τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ', ἀναλεξάμενος.

Mœnibus ex altis ad regna Cleombrotus orci
Ambraciota miser corpore desiliit,
Nulla foret quanuis sceleratæ occasio mortis:
Scripta Platonis ei sed peperêre necem.

In Phædone.

Quoniam igitur imprudenti adolescenti contigit, vt, cùm nullam moriendi caussam nactus esset, è vita tamen abierit, quid ea efficiat mortis commentatio ponderandum est. Vetat enim Plato dominantis illius in nobis dei iniussu hinc nos demigrare: verba autẽ eiusdẽ hæc sunt. Qui de hisce arcanis sermo habetur, in quodam inclusos præsidio & quasi custodia esse homines, nec debere quemquam iniussu imperatoris, id est dei, de præsidio & statione vitæ decedere, præclarus mihi videtur, nec sat cognitu facilis. Non ergo ruptis velut corporis vinculis, nobis è vita est abeundum. vt enim qui in carceribus ob perpetratum facinus coniecti vinculis coercentur, si inde cupiant euadere, leges quoad eius fieri potest, abrogant atque subuertunt: sic qui operam in eo atque studium ponunt, vt corporis vinculum prouisione quadam colligatum dissoluant: artificis ac molitoris omnium dei decreta rescindunt atque peruertunt. Quamobrem nemini sibiipsi mortem fas est consciscere. Quæ cùm ita sint, quid est quamobrem philosophiam mortis esse commentationem philosophi dixerint? Animum igitur aduerte, quæstioq́ue hæc facilè dissoluetur. Cùm homo ex animo atque corpore constet, sitque duplex eius vinculum: duplex quoque

existet

existet ſolutio. Nam alterum eſt naturæ congruens atque conſentaneum vinculum,quod naturale dicimus:quo corpus cum animo coniungitur,atque animationis ab eo vim ſumit : voluntatis alterum atque iudicij,quo corpori animus alligatur,eiuſque paret imperio. Itaque duo etiam diſſolutionis erunt genera: Vnum , quo corpus ab animo auellitur ac ſeparatur:alterum , quo à corpore animus abduci conſueuit:ob eamque cauſſam mors duplex etiam erit . Vna naturæ congruens atq; cõſentanea,quam obire vnumquemque neceſſe eſt,id eſt,qua ab animo corpus ſeiungitur:ac conſilij atque delectus altera , qua philoſophi ſeuocare animũ à ſocietate & contagione corporis enituntur,eoque modo mortem dicuntur commentari,id eſt,id vnum agere, vt maximè animum à corpore abducãt. Non planè enim ſi ab animo corpus ſecernatur, proinde animus à corpore ſeuocabitur. Animi enim qui quadam corporũ cupiditate ducuntur , facto concreti interitu in corporum amore perſiſtunt, quippè qui, vt ferunt, in monumẽtis atq; ſepulchris verſentur,in quibus vmbratiles quædam animorum ſpecies viſæ ſunt. Quinetiam nec ſi animus ipſe à moleſto illo ac graui corporis domicilio exceſſerit,continuò corpus ab animo ſeparabitur. Nam qui vitam è ſapientiæ ſtudio agunt,quanquã huius vſura lucis perfruuntur,ſeipſos tamen à corporis colluuione abducunt. Itaq; rectè philoſophiam mortis eſſe cõmentationem præceptum eſt. id eſt,diſceſſus ab animo corporis meditationem. Sed exiſtit deinceps quæſtio, cùm philoſophiæ propoſitus finis ſit rerum cognitio,quid ſit cur definitionem eam,quæ philoſophiam rerum , quia res ſunt cognitionem eſſe aſtruit,quęque eam diuinarum atque humanarũ rerum cognitionem eſſe declarat:à ſubiecto non à fine hauſtas eſſe dixerimus? Quemadmodum enim cùm medicinã ſcientiam eſſe dicimus,quæ in corporum humanorũ contemplatione cernatur , à ſubiecta re eam duci definitionem putamus,at cùm valetudinis efficiẽtem,à fine:quòd eò collimet potiſſimũ,in eoque ſuum ipſa ſtudium conſumat:ſic in philoſophia,ſi eius finis ſit rerum cognitio,definitionem quæ id explanet,à fine ſumptam eſſe exiſtimare par eſt. in quo in primis videndum eſt, cùm philoſophiæ aliud eiuſmodi genus ſit,vt tantummodo animo rem cernat,aliud vt moliatur aliquid & faciat:duos quoq; futuros fines. Nam cùm mortis cõmentationem philoſophiam eſſe dicimus , definitione eam explicamus,quæ ducta ab illa parte philoſophiæ eſt,cuius omne opus eſt in agendo:cùm autem rerũ quia res ſunt cognitionem,tum eam à parte cuius omne ſtudiũ in rerum cognitione verſatur definimus. Cumque dei ſimilitudinem quantũ natura humana ferat,ab vtroque. Sic medicina,vtpote quæ concreta compoſitaq; ſit, cùm iuxta eam modò finitur ſui partem , quæ in rerum cognitione contemplationeq; cernitur,ſcientia eſſe dicitur, quæ in humanorũ corporũ cognitione elaborat. ac meritò quidem definitionem eam à fine trahi opinamur. At verò cùm iuxta id cuius gratia ſuã ipſa ad vſum contemplationem adhibet,valetudinis efficiẽtem eſſe dicemus:hancque ab extremo ſumi definitionem fatebimur. Cæterùm quoniã philoſophia in ſola rerũ contemplatione verſatur (non ob aliud enim quàm vt res intelligantur inſtituitur) fieri non poterit,vt altera eius definitio ab re ſubiecta, atq; altera ab extremo ducta fuiſſe videatur. Omnem enim cognitionẽ,alicuius rei eſſe cognitionẽ oportet:quocirca idem genus cognitionẽ & rem quæ ſub ea ſubiecta eſt continebit. Prętereà ſiue à ſubiecto,ſiue à fine eam ſumptã eſſe dixerimus,nihil magnopere quidẽ erit offenſum,quanquã ab vtroq; potius ducta eſſe videri poteſt. Verùm ad definitionũ diſcrimen , eius ſcilicet quæ dei eſſe ſimilitudinem dicit,nec quibus in rebus ea ſimilitudo hæreat oſtendit , atque eius quæ mortis eſſe cõmentationem contendit,eo profectò modo à nobis appellatæ ſunt . Atque etiã alia eſt philoſophiæ definitio,quæ ab excellentia præſtantiaq; eius elicitur,qua cęteris omnibus & diſciplinis & artibus antecellit:hoc modo,philoſophia eſt ars artiũ,ac ſcientiarum ſcientia, cuius certè vis tale quippiã valet atq; efficit. Cognitio omnis aut artibus aut ſcientiis eſt conſentanea:porrò artes ac ſcientiæ rationibus nihil illæ quidem inter ſe diſcrepant, vtriuſq; enim conſtantes ſtabileſq; ſunt rationes,atq; eiuſmodi vt fallere nequeãt:ſed materia diſſentiũt. Nam ſciẽtiæ in his quæ ſine vlla mutatione varietateque cohærent ſemper verſantur , quo in genere ſunt, Aſtronomia,Geometria,atq; Arithmetica. Artes verò in iis quæ plerunque cõmutantur elaborãt. Quocirca Geometrię rationes nunquã illę quidem euariãt:velut quæ ait,in omni orbe ac ſphæra ductas de quocunque loco circuli qui deſignat ambitum , in centrum lineas inter ſe eſſe æquales. Nam id ita ſemper ſe habet. At medicinæ præcepta offendunt aliquando,& quaſi mutantur, vt cũ dicimus,contraria contrariorũ ſunt remedia:quia in iis quæ eodem ſemper modo habent nõ cernitur. Nam non omnibus morbis adhiberi remedia poſſunt:quid enim ſi lethalis morbus ſit? Prętereà incidunt ſæpe tempora cùm non modò non contrariis,verùm etiã ſimilibus morbi curãtur, vt in his qui temerè ac fortuitu contingunt . Frequenter enim affuſa frigida remiſſum calorem ac penè amiſſum reduxit ac reuocauit. Initia ergo cęteris ſcientiis atq; artibus philoſophia ſuppeditat. Ac Geometriæ quidem ea quæ de toto genere ſuſcipiuntur : quia quæ generalia ſunt philoſophia exquirit. Ad hęc Geometra punctũ eſſe quod nullam magnitudinẽ habeat,ſumit:atq; ita ma-

gnitudinem secat, vt nostra mens nihil habeat vbi consistat tanquam in extremo, atque hæc ille quidem citra demonstrationem initia vsurpat. At verò philosophus ea ipsa demonstrabit. Quia enim, inquit, quod terminat atque aliud complectitur, eo quod terminatur vno est interuallo minus. Nam corpus cum triplex interuallum habeat, extremitate & quasi libramento cõtinetur: quæ longitudinis est & latitudinis particeps, crassitudine autem caret, qua à corpore etiam superatur. Corporis verò extremitas, in qua longitudo atque latitudo est, linea clauditur: quæ vnico est interuallo prædita. ac linea demum puncto, quod nullam magnitudinem habet, nec in partes diduci potest: si modò rectè præceptum est, quidquid aliud continet, eo esse quod ab eo continetur vno semper interuallo inferius. Omnemque in infinitum magnitudinẽ secari ita docet, vt fieri in puncta diuisionem ostendat, quæ simplicia sunt, & nulla admixtione concreta, nec corpus cõstituunt. Itaq; tria in corpore sunt interualla, cùm id in puncta discerpitur. Nihil enim corpori diuisio illa detrahit, nisi quantum à quantitate aufert magnitudo. Tres verò habere magnitudines haudquaquam. In corporis ergo definitionẽ infinita cadit diuisio, & in qua exitus nullus reperitur. Atqui si ob insitam nobis atq; ingenitam imbecillitatem perfici ea atque absolui non potest: nõ idcirco tamen tollenda funditus est. Prætereà Medici, cùm sit à Philosophis demonstratũ, quatuor, ex quibus quæ in ortu posita sunt corpora nascerentur, esse elementa, ea vulgaria quæ omnium sermonibus percrebescunt: nec iis aut plura aut pauciora: id de quo inter omnes constitit, sumẽtes, ex iis ipsis quatuor oriri humores contendunt, qui superioribus illis elementis certa proportione atque cõparatione respõdeant. Iam verò Rhetoricæ etiam ipsi, Philosophia initia quædam exhibet. Cõparatione enim & proportione quadam exemplum atque enthymema, cum inductione & argumento ratione concluso collata orator accipit. Nam vt hoc verum est, quod sua vi necessitatẽ afferat: sic enthymema veritatis speciem quãdam simulachrũq; præbet: sed propositione tamen vna à ratiocinatione superatur, ob eamq; caussam imperfecta appellatur ratiocinatio. Ratiocinatio verò est oratio, in qua nonnulla ita ponuntur, vt diuersum quippiam ab iis necessariò efficiatur: quia ea ita sint. Eodemque modo cum inductione exemplum comparatur. vt enim illa verisimile, quódq; plerumq; solet euenire cõtinet, nõ omnino tamen quod verũ sit: ita & exemplum. Sed hoc tamen interest, quòd inductio oratio est quæ ex rebus singulis, fidem generis vniuersi facit, exẽpli gratia, Rhetorica ac iuris peritia, hęc item atque illa ars, ad vitã degendam valent, omnis igitur ars atque adeò ipsa medicina, ad vitam agendam conducit. Exemplum autem ex iis quę ad res singulas pertinent, quæ generi sunt subiecta construit, atq; inde sua ducit argumẽta. De Topicis enim Aristoteles in disserendi ratione disputauit, atque artes omnino tractauit Rhetoricas. Itaque principia à Philosophia Rhetorica mutuatur. Præterea orator æquitatem, honestatem, atq; vtilitatem ad suũ ipse vsum adhibet: quanuis sit nescius quomodo, quoq; loco ac tempore æquitatis habenda sit ratio, & eadémne cum vtilitate sit. Incidunt enim sæpè tẽpora cum eandem esse cum vtilitate æquitatem putant: aliàs verò hanc ab illa seiungunt, ac velut aduersam constituunt: hæc enim reciprocari nonnunquam atq; retrò agi ac cõmeare ostensum est. Eademque est Grammaticę ratio. In sonorum enim concentu ea, atque temporibus elaborat: quæ sunt Musicæ propria, quæ ipsa pars est Philosophiæ. Prætereà non de disserendi solùm ratione institutæ artes atque scientiæ Philosophię adiumentis vtuntur, sed etiã quæ sordidæ vulgo appellantur, quæq; sunt in faciendo positæ. Nam structor perpendiculo vtitur, quò prauúsne an rectus paries sit, diiudicet. Sed tamen quid perpendiculum sit ignorat. Philosophus autem huius etiam caussam reddet. Dicet enim grauia omnia suopte nutu ad centrum prouolui, atque inde existere vt ad medium ea iuxta rectos angulos omni ex parte delabantur: quòd recti anguli aliò flecti torquerique non possint, nec ad alterius materiæ rationem accommodentur. ac Architectus quidem amussi ad lignum vtitur dirigendum: quænam autem rectæ sit linéę natura nescit: atque ita Geometria, quippè quę subiecta pars Philosophię sit, id eadem ratione ostendet. Nam recta linea est, quæ ex æquo inter sua puncta iacet: eodemq; modo reliquas omnes sciẽtias ac artes suas à Philosophia mutuatas esse prĩcipia licet intueri. Est igitur Philosophia, ars artiũ ac sciẽtiarum scientia. Quum tamen ait Pythagoras, Philosophiam studium esse sapientiæ, is primus veterum errorem consectatus est. Nam quia veteres σοφὸν, id est, sapientem eum vocabant, qui quapiam esset arte eruditus, vt Archilochus scribens,

Artes omnes philosophiæ niti adminiculis ab eaq; sua ducere initia.

Pythagoræ de philosophia opinio.

Τριαίναν ἐθλῶ ϗ κυβερνήτης σοφός,

Tridentem validam, ac sapiens nauita. & Homerus

Εὖ εἰδὼς σοφίης ὑποθημοσύνῃσιν Ἀθήνης,

Palladis afflatus occultáque numina noscens:

Quæ σοφοῦ fuerit antiquis appellatio.

appellationem eam in deum transtulit, quasi sapiens solùm ille deus dicatur, in quo & sapientia, & sempiterna sit naturæ cognitio. Cùm autem is videret alios Rhetoricæ, alios Grammaticæ duci studio, alios in contemplatione rerum cogitationeque versari: solos eos qui cæteris omnibus pro

nihilo habitis rerum naturā studiosè intuentur, sapientiæ studiosos appellauit, id est, Philosophos: eodemque modo rerum earum cognitionem Philosophiam Græcè vocauit, nos sapiētiæ studium dicere consueuimus. Atque hæc quidem Pythagoras. Sunt autē aliæ Philosophiæ definitiones, sed de iis hactenus satis multa diximus. Quoniam autē res omnes aut in partes tribui ac diuidi possunt, aut non possunt: an in partes Philosophia possit secari necesse est explicare. Quod ita faciam si antè paucis quid diuisio sit, ac addiuisio atque subdiuisio dixero. Aequum est enim vt qui de diuisione disserat, horum omnium vim naturamque exprimat. Diuisio igitur est, prima rei partitio: vt cùm animal in rationis particeps expersque diduco. Addiuisio verò est secūdaria rei diductio, vt cùm animal in terrenū partior atque cæleste, aut in mortale & immortale, solaque collocatione hæc inter se discrepant. Subdiuisio autem est, diuisæ iam rei atq; sua in membra distributæ, partiū atque speciei sectio: ac speciem quidem subalternam hoc præsertim tempore intellectā volumus: veluti cæleste fixum est alterum, alterum errans: nam cæleste species animali subiecta fuit, idque in fixum ac errans subdiuisimus. Cùm verò quid diuisio sit atque addiuisio & subdiuisio hactenus exposuerimus, reliquum deinceps est, vt de Philosophiæ diuisione dicamus. Nam ea duas in partes quorundam, ac tres aliorum ratione, quàm fieri potest longissimè diuisione repetita, omnis distributa est. Eius enim aliud eiusmodi genus est, vt totum in rerū cognitione cernatur, alterū vt moliatur aliquid & faciat, ac tertium vt rerum rationibus inhærescat. Quod verū nécne sit, posteà viderimus. Re ergo vera diuisionis caput atq; initium duci ab ea parte oportet, quæ tota in diuinitatis cōtemplatione versatur. Nam rerum omnium origo initiumque est diuinitas: vt non incōmodè hoc membrum à priscis scriptoribus sit adiectum. At verò nostro ordine pars ea quæ in rerum indagatione posita est, primas illa quidem tenet (non enim natura quę animo solum cernitur, quàm quæ percipitur sensibus, intelligi prius potest) sed reuera tamen extremum sortitur locum. Naturarum enim omnium postrema est, quæ terrenis cōcretisque corporibus est intercepta quodammodo: ac proinde extremū ea sedem sortitur. Media verò & velut interiecta pars ea est, quę in disciplinis atq; artibus ingenuis suum ipsa studium consumit: quia ipsius naturæ ordine medium locum obtinet: quā veteres nōnulli parti ei quæ in naturæ explicatione sita est pręposuerunt, ideo, vt traditum est à Platone, vt hærētes rerum in nostris animis species intelligamus: in eorumq; reuocemur memoriā quæ in rebus spectantur singulis, via & ratione quadam tāquam scalis artibus iis quæ in disciplinarū cognitione versantur instructi. Aristoteles verò, quique eius sunt opinionē secuti mediam ei sedem tribuerunt: id assequi frequenti volentes consuetudine, vt à naturæ quæ materia prædita est intelligentia, ad eius quæ intelligitur cognitionem surrigamur: quæ quanquā sub aspectum non cadit, potiorem tamen habet nobilioremq; quàm quæ materia est circumfusa constantiam. Hîc enim lineam quæ materiæ immersa est intuemur, non quò materiam, vt ceram, atq; ęs cognoscamus: sed vt eam inde separatam in animū iniiciamus: vbi firmiorē habitura est, & cōstantiorem stabilitatem. Ac differre à cera quidem figuram, vt lineam ac triangulum, hinc perspici potest, quòd quamlibet figura trianguli commutetur, vno detracto latere: mutari tamen cera non solet, quod necesse erat consequi, si ea inter se naturâ conspirassent. Igitur Philosophia duas in partes omnis distributa est: in eam quæ tantummodo animo rem cernit ac contemplatur, atque eam cuius omne opus est in agēdo. Sed existit quæstio, quamobrem duas in partes solùm, nec plures, aut pauciores, tributa ea sit. Sed vt in partes pauciores secaretur fieri non potuit. Quod enim simplex atque vnum est, diuelli vnam in partem non potest. Quamobrem ergo in membra plura ea fusa nō est, sed duabus cōtenta partibus acquieuit? Huius verò duplex est ratio. Quia enim Philosophiam dei esse similitudinem, quoad natura humana patiatur, diximus: atque deus actiones duas habet, cognitionis alteras, quibus vniuersa intelligit: atque alteras prouisionis, quibus fluxæ rerum saluti prospicit: meritò Philosophia in agentem atque contemplantem est diuisa: hac enim rerum naturam percipimus, atque illa rebus rationibusque consulimus deterioribus, eoq; modo nos ipsos deo similes efficimus. Prætereà duæ sunt mentis nostræ actiones: cognitionis quædam, vt intelligentia, opinio, sensus, Phantasia, mens: aliæ quæ vitę atque appetitionis vim habēt, vt voluntas, consilium, ira, cupiditas. Quocirca qui sunt sapientiæ studiosi, omnes animi partes ornare perficereque enituntur. Itaque ab ea parte que in rerum cōtemplatione cernitur, cognitionis nobis insita vis perficitur: vt ab ea quæ est in rerum actione posita, cui vitæ atque animationis adest facultas. Ad hæc pars ea quę in rerum cognitione versatur, in tres etiam partes diuisa est, in diuinarum rerum cognitionē, quæ θεολογικὴ à Græcis appellatur: in disciplinarum cōmentationem atq; peritiam, quæ μαθηματικὴ: & naturæ explicationem, quæ φυσιολογικὴ, id est, naturalis dicitur. Nec id temerè tamen, sed iure factū optimo existimari debet. Quandoquidem enim philosophus vniuersi naturā studiosè intuetur, eius verò triplex ordo existit: (quoddam enim genus est rerū, quod auulsum à materia per seipsum constare, vimq; suam atque æternitatē cōseruare possit,

Margin notes: διαίρεσις. ἐπιδιαίρεσις. ὑποδιαίρεσις. Philosophiæ diuisio. Quare duæ solum philosophiæ sunt partes.

vt diuinum:alterum quod à materia separatum cohærere si nulla vi contineatur non potest:velut naturales formæ quæ materiæ participes sunt,vt ligni,& ossis,& carnis : & vniuersa omnino corpora,quæ naturalia proinde vocamus,quòd à natura proficiscantur ac manent. Tertium autē medium quod aliqua ex parte separari potest,aliàs nō potest,cuius generis sunt,Mathematica.Orbis enim & triangulus cęteraque eiusmodi per seipsa sine materia constare non possunt,eoque modo auelli à materia non posse ea dicimus. Quia verò ligneum orbem spectantes, & æreum, ac lapideum,eius formam in animo infixam impressamque habemus:ac si cera anuli formam sine materię eius vlla parte recipiat,idcirco separari possunt,quia ratione à re subiecta seiunguntur).Quoniam ergo,res quædam separari planè possunt, quædam omnino non possunt:atque aliæ aliàs abiunctionem admittunt,aliàs respuunt:non abs re quidem pars ea Philosophiæ,quę in rerum contemplatione versatur, in essentiæ diuinæ cognitionem, ac scientiarum peritiam, naturæque obscuritatem distributa est.Nam quæ auulsa omnino sunt,ad eam partem referuntur,quæ in rerum diuinarū explicatione elaborat.quæ verò seuocari à subiecto nullo modo possunt,sub naturæ sunt expositione subiecta.Quæ autem quandoq; separātur, ac quandoq; sunt eiusmodi, vt abduci à re subiecta non possint,in scientiarum cadunt peritiam.Porrò autem rerum materia concretarū formas,nulla posse ratione secerni, at mathematicas posse:ex his, quas hactenus exposuimus, definitionibus perspici potest.In orbis enim finitione, nullam materiam vsurpamus. Siquidem orbis figura est plana,linea vna comprehensa,in qua à medio in ea puncto omnes lineæ rectæ ad ambitum eius eiectæ,inter se sunt æquales.At verò domum materia prætermissa,definitione explanare non possumus.Dicimus enim domum esse operculum,quod ventorum,imbrium, calorisque iniurias atq; incommoda propulset,quodque è lignis lapidibusq; struatur. Atqui si ita domū finias, vt nulla materiæ habeatur ratio, nobis in mentem nunquam id tabernaculum operculúmue venire poterit.Mathematica autem meritò collocatione media extiterunt. Nam cùm à naturalibus ad diuina transmitti continuò nequeamus,& ab iis quæ penitus cum materia cōiuncta sunt, ad ea prouehi non possimus,quæ à materia omnino secluduntur:iter per Mathematica facimus, vtpote quæ partim auulsa à materia, partim cum ea sint coniuncta. Ob eam enim caussam Mathematica ea vocantur,quòd par sit nos cùm ea cognouerimus,iisque fuerimus assueti,ad diuina mente percipienda attolli.Siquidem vt est apud Plotinum, tradendæ idcirco sunt adolescētibus disciplinæ, quæ à Græcis μαθήματα appellantur:vt ad quandam naturæ corpore carentis cōsuetudinem informentur.Nam si à rebus naturalibus ad diuinas subuehi continuò, ac citra medium enitamur, haud secus aberrabimus,ac si quis à domo obscurissima ad splendidissimā proficiscatur.Atque vt in ædibus quæ mediocri lumine illustrentur,paulum conuenit immorari,atq; ita demum ad maximè illustres commigrare:sic post rerum naturalium cognitionem, ætatis aliquantum in Mathematicis conterendum est,vt ad diuina deinceps promoueamur.Disciplinæ enim hæ pontis cuiusdam scalarumque vice funguntur. Quæ ipsa cum naturalibus etiam consentiunt, qua ratione à subiecto non seuocantur:ac cum diuinis congruunt,quatenus possunt separari.Pars autem ea quæ in naturæ obscuritate cernitur,& quæ diuinitatis est contemplatrix,subdiuidi illa quidem potest, has tamen subdiuisiones,vt quæ longiores sunt quàm primæ institutioni conueniat,prætermittemus.Iam verò Mathematicū in quatuor partes distribuitur,in Geometriam,Astronomiam,Musicam,& Arithmeticam.Ac Arithmetica quidem circa numeros versatur, suntq; diuinæ planè eius artis quæstiones. Neque enim illa operam in eorum cognitione numerorum ponit, qui in vsu apud rudes & imperitos frequēti positi sunt,quisque vulgus rerum init multitudinem:sed numerorum formas intuetur,eorumque inter se affectiones exponit. Veluti ad ternionem senarius duplam obtinet rationem, atque ad senionem nouenarius sesquiplam. Præterea numerorum etiam ortus,paris & imparis,atq; impariter paris,ac alia id genus permulta exquirit. Geometria autem corporum figuras atq; magnitudines dispicit.Musica porrò in fidium versatur concentibus:quinetiam & in cantibus quibusdam studium atque operā ponit, qui affectiones & perturbationes animi sopiunt, eumque ad virtutem excitant. Quod declarant quæ adhuc supersunt musicæ propemodū extinctę atq; intermortuæ vestigia.Audito enim tubæ clāgore,animatiores feruētioresque efficimur,ob eamque caussam præliis tuba cōuenit.Audientes verò spectaculorum concentus,toti quasi emollimur,atque animo dissoluto euadimus. Nam proditum memoriæ est, Pythagoram cum fortè animaduertisset adolescentem tibicinam quæ cantilenam mollem modularetur comitantem,iussisse eam inuersa tibia canere:quo facto vniuersa pueri cupiditas cōcidit atque extincta est. Quamobrem fides est iis adhibenda, quæ de diuina arte musica circunferuntur.Idcirco ergo diuinus ille Plato iuuenes cohortatur,vt musicæ atque gymnasticæ studeant,vt musica mentem,& gymnastica corpus excolant atque exornent. Astronomia autem circa syderum motus conuersionesque versatur.Cæterùm quamobrem quatuor solum in partes mathematice diuisa sit,nūc dicamus.

mus. Scire igitur oportet mathematicen quantitatem tractare. Quantitas autē alia deiuncta, atque alia coniuncta est. Ac cōiuncta quidem alia est mobilis & alia immobilis. Mobilis item alia semper moueri, alia non semper potest. Deiuncta porrò in eam quæ per se est, & quæ in iis quæ cum alio comparantur, diducta est. Igitur quantitas cohærens atque coniuncta, & quæ agitari impulsu non potest, est terra: in qua Geometria elaborat. Quamobrem Geometria est coniunctæ quantitatis, immobilis, situmque habentis cognitio. Quantitas cohærēs, & quæ semper mouetur, est cælum: in cuius cognitione Astronomia versatur, estq; Astronomia cohærentis & continuatæ quantitatis, quæq; semper moueatur cognitio. Versantur verò Astronomia ac Geometria circa continuam quantitatem. Continuū autem est id, cuius partes certo quodā termino coaptantur. Verùm enimuero deiunctam separatamq; quantitatem quandam per se esse: diximus, & quandam quæ in iis sit quæ cum alio conferuntur. Quantitas per se separata est numerus, cùm eum per sese intuemur, vt, pariter parem & impariter parem: nec eius fortuitā cum alio affectionem spectamus, nam id ad Musicam pertinet, in eoque ipsa cernitur. Quantitas deiūcta per se est numerus per seipsum consyderatus. Arithmetica ergo est, deiunctæ per se quantitatis cognitio. Quantitas autē ad aliud separata & interrupta est, affectio sonorum inter se quædam mutua, in qua harmonia cernitur: cuius è numeris petenda cognitio est, & in qua versatur musica. Estque musica cognitio quantitatis separatæ, affectionem habentis alterius ad alterum. Ostensum igitur est Musicam atque Arithmeticam in deiuncta quantitate elaborare. Deiuncta verò quantitas est, cuius partes nulla extremitate continentur & copulantur. Atque hæc quidem in parte ea quæ rerum cognitione ducitur consyderantur. Sed quoniam id cuius omne opus est in agendo, Philosophiæ partem esse diximus, id etiam nobis hoc tempore diuidendum est. Id ergo in ἠθικὸν, οἰκονομικὸν & πολιτικὸν diducitur. Quorum primum vniuersam benè viuendi rationem continet: alterum eam quam sibi proposuerunt ij qui in Reip. luce versantur: tertium quam sibi quisque priuatim in tuenda re familiari domi cum vxore ac liberis constituit. Nam qui vtile quippiam agit, aut sibi id facit, & suos ipse mores exornat, isque ἠθικὸς, id est, moralis dicitur: vel suæ domus commodis vtilitatique seruit & οἰκονομικὸς vocatur: vel Reip. vniuersorumque saluti consulit, atque πολιτικὸς, id est, ciuilis appellatur. Nonnulli autem qui ciuilis sit eundem moralem & œconomicum dici cōtendunt: quòd qui omnium vtilitati consulat, multò magis rebus rationibusque suis possit studere: illique ipsi eôdem ciuile, & quod in agendo est positum reuoluunt. Quibus respōdemus, permultos nimia laudis cupiditate adductos Reip. vtilitati illos quidem consulere, sed nullam tamen sui rationem habere. Quocirca tria illa partis quæ in rerum actione versatur genera à se inuicem diducta sunt: quorum vnumquodque in legum dictandarum peritiam, atque iudicandi rationem discerpi potest. Philosophus enim qui ciuilem vitæ cursum sequitur, & cuius studia vitaque omnis in Reipub. administratione versatur, leges fert, ad quarum præscriptum ciues viuere conueniat: & iudicat: aliosque præmiis, vt qui à cōstitutis legibus deflexerint, pœnis, suppliciisque, afficit. Scire tamen debemus, hæc ipsa in re etiam familiari spectari. Nam & domi leges ferimus, ac seruos liberosque, si quid offenderint, plectimus, quæstionemque tanquam discernimus. Quinetiam non in re solum familiari, sed & in moribus eadem consyderantur. Nam & moralis leges sibi constituit cùm ait,

Diuisio eius philosophiæ partis, quæ in rerum actione cernitur.

κρατεῖν δ᾽ εἰθίζεο τῶνδε,
γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, λαγνείης τε

assuescas moderarier hæcce,
In primis ventrem, ac somnum, veneremque salacem.

Itemq; Isocrates cū inquit, τοὺς μὲν θεοὺς φοβοῦ, τοὺς δὲ γονεῖς τίμα, τοὺς δὲ φίλους αἰσχύνου, id est, deos time, parentes honora, amicos reuerêre. ad hæc seipsum diiudicat, hoc modo,

Isocr. ad Demonicum

Μηδ᾽ ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ᾽ ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
Πῇ παρέβην; τί δ᾽ ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ᾽ ἀπὸ πρώτου, ἐπέξιθι καὶ μετέπειτα
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο, χρηστὰ δὲ τέρπου.

Pythagoras

Ne prius in dulcem declines lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaueris acta diei.
Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid non?
Cur isti facto decus absfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem
Cur aliquem, fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret: vtile honesto

Cur

Cur malus antetuli?sic dicta & facta per omnia
Ingrediens,ortoque à vespere cuncta reuoluens
Offensus prauis,des palmam,& præmia rectis.

Cæterùm de ciuili atque œconomico suo loco disputabimus,nunc de moralis est diuisione,quidque ipsum sit,disserendum.Itaque mos,quem ἦθος Græci appellant,hominis est ornatus atque dignitas. Ornatus autem vniuscuiusque rei est perfectio, quæ extremorum priuatione declinationeque emendatur,exuperantiæ scilicet & defectionis:quibus constat turpitudo. Nā siquis turpem deformemque eū dixerit,cui membrū aliquod,vt manus,aut aliud defuerit: dicet profectò & eum turpem qui extra modum membrorū multitudine indecorè prodierit:vt qui digitos sex,manúsue totidem habuerit:quales permulti sunt apud Apollonium gigantes.Turpe ergo est id omne quod à mediocritate quæ est inter nimium & parum, recedit. Omnis autem turpitudo imperfecta est: nam ei ornatus est contrarius.Itaque perfectio ex exuperātiæ atque defectionis,quæ imperfectiones sunt,declinatione constat.Nam perfectioni contraria est imperfectio. Contraria autē contrariorum obseruatione emendantur. Hactenus ergo quid esset Philosophia, quásque in partes finderetur summatim quidē perstrinximus. Diuina igitur res est,& de qua hoc etiam præclarè dictū ferunt,quòd bono eo nullum optabilius, nullum præstantius,neque datum est mortalium generi deorum concessu atque munere,neque dabitur.Ac de Philosophia quidem diximus. De reliquis autem omnibus,quæ sunt magis ad hunc librum apta,deinceps disputabimus.Philosophiā rerum quia res sunt, cognitionem esse diximus,quod cùm intellexissent philosophi,disquirere cœperūt quonā tandem modo ad eorum quæ sunt possent cognitionē euadere.Cumque res singulas nasci, occidere,fluere,labi viderent,atque adeo esse infinitas,& scientiā sempiternorum atque definitorum esse cognitionē(nam quod scientia percipi atque comprehēdi potest,cogitatione debet mente que contineri,cuius modi infinitū esse non solet)se ipsi à singulis rebus ad vniuersas subuexerūt, quæ & sempiternæ sunt,& certo quodā numero circunscriptæ.Scientia enim,vt traditū est à Platone,ἐπιστήμη idcirco à Græcis appellatur,quòd nos in certissimū quendā rerum statū exitumque prouehat:quod facilè,si à singulis rebus ad vniuersas animū conuerterimus,assequemur.Itaque ab hominibus singulis, ad vniuersum hominis genus profugerunt. Nam singulatim nosse quot sint in mundo homines philosophus non instituit:contentusque esse debet, si, quæ vniuersa sit hominis natura,scientiæ peruestigatione comprehendat:ea verò est,vt homo animal sit mortale, rationis particeps.Qui enim hoc nouerit,facilè omnes qui in mundo sunt futuriue sunt homines cognoscet.eo ergo modo sese ad quoddā hominis genus retulerunt.Itemque ab equis singulis,ad vniuersum equorū genus,quod singulos suo ambitu equos cōplectitur,& continet,peruenerunt,dixeruntque equū animal esse quadrupes,aptum ad hinnitum. Nō enim singulos equos nosse cupit Philosophus,vt,qui sit Xanthus,ac Balias:sed totum equi genus indagat.Res enim vniuersæ assiduè,siue vlla mutatione,aut varietate,cohærent:non autē hoc,& aliàs illo modo,vt singulæ,cōmutātur. Alia enim est Xanthi & Baliæ:quemadmodū alia Platonis atque Alcibiadis natura. At verò vniuersus homo ac equus semper eadem sunt.Nā omnis equus animal est quadrupes hinniens: itemque omnis homo animal mortale,rationis compos.Atque etiam eadē est canis ratio,& cæterarum animalis formarū.Igitur cùm hasce species philosophi intuerentur,quæ quāquam sunt definitæ,eas tamen percipere cōprehendereque humanus animus non potest (nihil enim mirū est nobis multa esse incognita animantia)ad cōmune quoddam vniuersorum animantium genus, quod singula omnia esset cōplexum,sui ingenij aciem contulerunt.Nam & homo animal est, & equus, & canis.Prætereà reliqua omnia quia animalia sunt,nihil inter se discrepāt:Cum præsertim ea omnia essentia sint animata,ac sensus particeps. Qui ergo nouerit quid animal sit, animātia etiam vniuersa cognoscet.Rursum ab hac ficu,platano,vite,ad vniuersam ficum,platanum,vitem ascenderūt,atque eodē in plantis reliquis modo.Rursumq; in cōmune his omnibus genus plantam, ea coegerunt:quod plantas singulas complecteretur.Itaque communitates duas sunt adepti, plātæ & animantis.Ad hęc animans ac plantam,ad animatum retulerunt.Nam & plantæ animatæ sunt:cibum enim capiunt & nutriūtur,ac simile sibi procreant. Quoniā autem animato contrarium est inanimū:inanimumque est quod est animatione destitutum,cuius generis multæ sunt res singulę, ac propemodū infinitæ,idcirco à singulis demum lapidibus & lignis ad generalē lapidis lignique naturam euaserunt:rursumque à singulis lapidibus & lignis,cæterisque generis eiusdem, ad inanimum subuolarunt,quo hęc omnia continentur.Atque ita duas sunt cōmunitates cōsecuti, animatum atque inanimum:quas itidem ad cōmune genus,corpus,cōtorserunt, quod est triplici vndique interuallo præditum.Prætereà ab animis,angelis, mentibus, & eiusmodi aliis rebus ab omni concretione mortali segregatis,scansim ad quādam eius communitatem quod caret corpore seipsos transfuderunt,quæ repugnare corpori videtur. Namque vt triplicem hoc dimēsionem habet,

Apollonius Rhodius Argonauticōn scriptor.

Plato in Timæo.

potestque

poteſtq; omni ex parte diuidi:ita natura quæ expers eſt corporis,partibus omnino, omnique interuallo caret. Quamobrem quid vtrique eſſet commune indagarunt, ac ſubſtantiam eſſe vtrunque compererunt:quippè quæ vtrunque ſuo velut cinctu complecteretur atque obuolueret. Peræquè enim ſubſtantia eſt quod corpore ſeptum munitumque eſt, ac quod corporis eſt expers, vt animus,angelus,deus. Meritò igitur ad commune genus eſſentiam ſeſe extulerunt, cuius eſſentiæ nomen rem quæ per ſe conſtet ac cohæreat explicet:quod è contrario perſpici poteſt. Sunt enim quædā quæ cohærere per ſe non poſſunt,ſi nulla vi contineantur,in aliiſque infixa ſunt:quæ conſecutiones appellantur,vt candor,atror,dulcor,& reliqua huiuſmodi. hæc enim ſua ipſa vi cōſtare non poſſunt,neceſſeque eſt vt aut in ceruſſa cādor,aut lacte,quæ ſunt corpora,hæreat. Quæ igitur cohærere per ſe poſſunt,& nihil vt ſint requirunt,velut homines,animi,lapides: queque adiumento nullo ad ſuam confirmationem indigent,naturæ vocantur. Itaque ad communitatem quādam quæ eſſentia eſt,deuenerunt. Omnes ne igitur res (nam hoc dicet aliquis)natura continētur, quandoquidem rerum omnium cognitionem philoſophus profitetur? minimè. Rurſum enim occurrunt duo,& decem,& viginti,quæ in commune quoddam genus compulerunt, nempè numerum. Præterea magna quædam,ac parua eſſe animaduerterunt:quæ coniuncta atque cohærētia vocauerunt. Quoniam igitur numerus atque cohærens hoc conueniunt,quod quantum vtrūque ſit: ea ad vniuerſam quantitatem retulerunt. Suntque ea ratione duas communitates adepti, quarum complexu multæ res continentur,eſſentiam & quātitatem. Poſthæc res quædam eſt alba,variique ſingulatim candores:candor enim aut in ceruſſa,aut in niue,aut in olore ineſt: hæc igitur ad candorem totum conuerterunt:eodemque modo atrum ac fuſcum ad colorem deriuarūt. Inſuper, eſt dulcor,amaror,caliditas,frigiditas:quæ omnia ad quantitatem reuocarunt. Qualitas autem eſt,ex qua quales aliqui nominantur:vt ex candore candidi,& è Grammatica Grammatici. Deinde ſunt dextrum & ſiniſtrum,duplum & ſimplum,quæ quidem omnia in iis quæ cum aliquo conferuntur collocarunt,quorum vis ratioque omnis in rerum eſt affectione poſita. Eſt etiam in Lyceo aut foro eſſe,cæteraque omnia quæ de his dicuntur:quę ad vbi contulerunt,quod quidem locum denotat. Eſt item heri,pridie,hodie,cras,& reliqua id genus,quæ ad Quando conuerterunt, quod tempus ſignificat. Sub hæc eſt accumbere,ſtare,ſedere,quæ ad ſitum eſſe tranſmiſerunt: ſitum eſſe autem huiuſmodi eſt corporis collocatio. Tum veſtitum eſſe,armatum eſſe, anulumque geſtare occurrunt:quæ ad Habere tranſtulerūt: habere enim eſt naturæ circa naturam collocatio. Deinceps verberare,calfacere,refrigerare obtingunt: quæ ad agere promouerunt. Poſtremò cùm dealbari quædam ac cædi viderent,ad Pati ea redegerunt,quod quidem nihil aliud eſt quàm ab altero cōmutari:quemadmodū efficere in re quapiam verſari,ſtudiumque atque operā in ea ponere. Quocirca decem haſce demum in vniuerſum communitates collegerūt,eſſentiam,quantitatem, qualitatem,ea quæ cum aliquo conferuntur,vbi,quando,ſitum eſſe,habere,efficere,ac pati. itaque res omnes in harum communitatum aliquam cadunt. Categorias autem eas Græci ideo nuncuparūt, quod in eorum quæ ſub ipſas ſubiecta ſunt aliquo dicantur. Has ergo Categorias Ariſtoteles tradidit,in quarum explicatione quarundam etiam vocum nobis non vſitatarū,quæque ab vſu quotidiano,& populari dicendi conſuetudine procul abhorrerent mētionem iniecit, generis ſpeciei, differentiæ,proprij,& accidentis. Humanitùs ergo atque vt philoſophum decet agēs Prophyrius, hunc libellum confecit,quo quid quæque vox deſignet exponit:vt his antè perceptis,quę ab Ariſtotele de Categoriis tradita ſunt,facilius perſpiciamus. Atque hoc quidem eſt Prophyrij inſtitutum. Hunc autem librum introductionis nomine inſcripſit,quia via quædam eſt ad Philoſophiam vniuerſam. Nam reliquis commentariis omnibus qui ſunt de diſſerendi ratione inſtituti,Categoriæ præponuntur,atque has ipſas introductio antecedit. Quod verò philoſophi in rebus omnibus effecerūt(reduxerunt enim omnia ad primas communitates decem,vt nihil planè ſit quod nō ſub vnam earum aliquam cadat)id ipſum Grammatici in vocibus præſtiterunt. Cùm enim vellēt infinitam vocum multitudinem vna vi atque vna conſenſione naturæ conſtringere, quaſdam ad nominis,alias ad verbi claſſes redegerunt:atque ita ſuas illas octo orationis partes expleuerunt. Sic Porphyrius voces omnes ſignificatione præditas quinario numero circūcluſit:prętermiſſa ea quæ res notat ſingulas,quæque alioqui in ſenarium poterat cooptari. Ac de Philoſophia quidē & eius partibus,quamque habeat perfectionem,ſatis multa dicta ſūt. Sequitur vt de his quæ Philoſophis προλεγόμενα vel προτεχνολογούμενα περὶ παντὸς βιβλίου appellantur,quaſque noſtri,ſi qui hæc fortè tractant,præfationes vocare ſunt ſoliti,dicēdum eſſe videatur. Ea autem ſunt huiuſmodi,inſtitutum,vtilitas,opus legitimum,partitio in capita,præceptionis docendique modus,& ad aliquā partem relatio. Hæc autem ſibi præfanda conſtituerunt,non quod redundans quicquam & à reliquis artibus alienum ſint commenti:ſed vt acrius auditores animarēt,ardentioreque diſcendi ſtudio incenderent. Si quis enim quippiam legat operiſque ignoret propoſitum,remiſſa ac velut ſopita

Categoriarū ortus atque initia.

Κατηγορίας quare Græci dixerint.

Quæ ratio Porphyrium ut quinque uoces traderet impulerit. εἰσαγωγή.

προλεγόμενα huius libri.

προλεγομένων ſingulorum cauſæ ac rationes.

pita alacritatē medio in curſu concidet:eodemq́ue modo hallucinabitur : ac viatores qui longam viam,eamque ſibi incognitam ingreſſi,nonnunquam vehementer aberrare ſolent : eam igitur ob cauſſam libri tradunt inſtitutum ac docent. Verumenimuero non continuò qui inſtituti rationem nouerit,propenſo animo in aliquod opus incumbet , ni prius quem inde ſit percepturus fructum intelligat,atque idcirco vtilitatem iure exponūt.Iam verò quanquam hæc perſpeximus, hæremus tamen ac de ipſa vtilitate diffidimus,niſi veteris iuſtū eſſe opus perſuaſum habuerimus,eius quem eruditione præſtantem fuiſſe nouimus,vt Ariſtotelis,aut Platonis.Omnia enim quæ ab illis literarum tradita ſunt monumētis vtilia eſſe credimus,idcirco ſit ne genuinum opus anquirunt. Quibus ſanè intellectis quędam de ordine & diſpoſitione operis exiſtit quęſtio ſubdifficilis,num primum id,an ſecundum debeamus conſtituere:ob eamq́ue cauſſam operis collocationem explicāt. porrò autem libri inſcriptionem explanant,quòd eâ breuiter operis inſtitututū contineatur.Prę=tereà ad quam potiſſimum etiam partem referatur exponunt,vt ad quid valeat intelligatur. Explicatum igitur cùm ſit à nobis,atque reddita cauſſa,quamobrem hæc præfari Philoſophi ſoleāt,iam tempus eſt ad huius operis προλεγόμενα accedere . Inſtituit ergo hoc loco Porphyrius quinque quaſdam voces tradere,quibus res omnes comprehenduntur,quæq́ue in naturis omnibus cernuntur. Hæ verò ſunt huiuſmodi,Genus,Species,Differentia,Proprium,& Accidens.Eſt porrò vtilis hic liber ad Philoſophiā.Ea enim tradit quæ in formis ſua vi inſunt,& in quibus ſatis magna vis ad formas conſtituendas inſita eſt.Ab iis verò quæ vt conſtēt,ac cohæreant formæ efficiunt, demonſtrationes ducimus. Quamobrem de demonſtratione diſceptat,quæ ipſa plurimum ad percipiendam philoſophiam vniuerſam poteſt.Demonſtratione enim illius extrema cognoſcimus.Eſſe autem genuinum hūc libellum,aperta ac dilucida declarat elocutio,quodq́ue in aliis libris quęſtionum quæ hoc opere explicantur facta mentio ſit,ac quòd Chryſaorium alloquatur:cui cùm alios quoſdam Commentarios deſpondiſſet , hunc etiam hoc quidem tempore huiuſmodi quampiam ob cauſſam alloquitur.Præceptor Chryſaorij erat Porphyrius,Iſq́ue cùm ingenuas diſciplinas profiteretur,eum rogauit Chryſaorius vti Aetnæ ignes atque incendia perſcriberet , tumq́ue peregrè abiit.Eo tēpore Chryſaorius incidit in Ariſtotelis Categorias quaſdam,quarum ille ſententiam cùm aſſequi non poſſet , per literas id Porphyrio,qui tum fortè eo in loco diuerſabatur, indicauit:rogitans ſi quod pollicitus erat de Aetnę ignibus confeciſſet,ad ſe veniret: ſin ſecus,introductionem quampiam conſcriberet,qua adiutus Ariſtotelis Categoriarum rationem aſſequeretur. Quod ei cùm denegare non poſſet Porphyrius,hunc libellum conſcripſit,eumque ex Platonis libris iiſdem penè verbis hauſit. Quibus ex rebus,genuinum hūc eſſe Porphyrij librum, perſpici poteſt.Collocatione autem hic liber cæteros omnes antecedit. Nam ſi ad Categorias Ariſtotelis percipiendas viā aperit,quæ in ſimplicibus verbis verſantur:illæq́ue diſſerendi rationis ſunt initia:perſpicuum eſt librum hunc diſpoſitione eſſe diſſerendi ratione priorem. Quocirca meritò illi præponitur . Ac de ordine quidem libri ſatis dictum eſt. Introductionis autem nomine inſcribitur.atque exiſtit quæſtio quamobrem indeterminatè ita inſcripſerit . Obſcurum quippè eſt Grammaticæne,an Rhetoricæ , an diſſerendi rationis ſit introductio. Dicimus ergo,nos præſtantes res atque egregias indeterminatè ſignificare ſolere,veluti cùm Homerum deſignamus,poëtam per excellentiam præſtantiamq́ue dicimus. Quid obſtitit ergo quò minus qui Philoſophiam eſſet deſignaturus,infinito eam nomine per excellentiam nuncuparet?Præterea , quod omnes fatētur,introductio , artis aut ſcientiæ alicuius introductio eſt:at Philoſophia ars eſt artium,& ſcientiarum ſcientia. Quî ergo ſatis benè poterat qui nos ad illam introducturus erat,& per eā ad cæteras omnes artes ac ſcientias (ſi modò vera eſt eius definitio) vnius duntaxat artis introductione librum inſcripſiſſe?Atque hæc quidem hactenus. Tres autem in partes vniuerſum hoc opus fuſum ac diſtributum eſt.in quarum prima voces quinque exponit.In ſecūda duobus eas modis inter ſe committit,docetque quid peculiare,quidque proprium illæ inter ſe habeant:veluti, quid ſit generi commune,quid formæ,quid proprio,quid differentiæ , & quid accidenti.In tertia quid omnibus inter ſe commune ſit. Quod antè quàm aggrediatur,principiò libri inſtitutum attingit,eiuſque vtilitatem aperit,ac modum præceptionis explanat . Nempe futurum ſimplicem eum atque enucleatum,primæq́ue accommodatum introductioni.Refertur autem hic liber ad Philoſophiæ de diſſerendi ratione inſtrumentū : ea enim exponit quæ ad neceſſariæ concluſionis conducunt initia,cuius genus argumentum eſt ratione concluſum,quod copulatæ eſt orationis ſpecies, quodq́ue rurſum genus orationem habet.Præterea ad Ariſtotelis Categorias introducit , quæ ad diſſerendi rationem pertinent.Diſſerendi autem ratio inſtrumentum eſt , non pars Philoſophiæ, vt aliàs dicemus.

Porphyrianæ introductionis inſtitutum.

Huius operis conſiciendi occaſio.

Inſcriptionis ratio.

Huius operis in mēbra partitio.

Quæſtionem hanc Ammonius initio ſuorum in Ariſto. Categorias commentariorum explicauit.

Ammonii Hermæi in Porphyrii INSTITVTIONES Commentarius.

CVm ſit neceſſarium, Chryſaori.

Res omnes ſuapte vi ac natura ſummum bonum expetunt, quandoquidem ſummum bonum naturarum eſt vnum omnium initiũ. Itaque omnia ad id quaſi ad vtilitatem perfectionemque propriam referuntur: tumque demum res vnaqueque ſuis expletur numeris, cùm eius particeps, quoad eius natura patiatur, euaſerit. Nemo igitur malũ appetit. Quinetiam ſi quis hoc concupiuerit, illud tamen boni adductus ſpecie ſequetur. Cùm igitur quempiã ad rem aliquam cohortari volumus, principiò quã ex eo vtilitatem ſit percepturus explicamus, quò facilius eum alliciamus. Id verò hoc loco Porphyrius effecit. Nam cùm eos qui introducuntur primùm, legendi operis huius cupiditate vellet incendere, qui ex eo fructus hauriatur initio exponit. Sed quoniam bonorum duo ſunt genera, vnum, quia vltimum, vt cùm valetudinẽ bonam eſſe dicimus: alterum, quia ad extremum refertur, vt cùm bonam venæ inciſionem perhibemus: non per ſe ac ſua vi illam quidem, ſed propter valetudinem ex ea futuram. Neceſſariũ non propriè hoc loco, ſed quia ad maiorem refertur vtilitatem, vſurpatur. Dicimus enim, vt conualeſcat, venã eſt neceſſe ſecari, atque idcirco neceſſarium dicit hunc librum, quia ad Ariſtotelis Categorias quaſi extremum quippiam refertur. Nec is vt vltimum vtilis eſt, ſed quatenus ad ipſum conducit. Atque, vt paucis abſoluam, neceſſarium hunc hoc loco librum eſſe affirmat, eum ad maius emolumẽtum commodumque quoddam reducẽs: & aut quòd vtilis per ſe ſit, aut etiam neceſſarius: quia abſque eo reliqua Philoſophorum opera intelligi non poſſunt. Itaque neceſſarium duobus modis à Philoſophis vſurpatur. Nam vel vtile neceſſarium vocant, vel quod ei quod vt ſit accidit, è regione opponitur. Atque id vtile quidam appellant, quod ad rem aliquam efficiendam valet, vt veſtitũ eſſe ac calceatum: hæc enim vt minus labefactetur corpus, minuſque labis contrahat, efficiunt. quò fit vt longiore eduret tempore. Prætereà neceſſarium, vt dixi, vocatur: quod contingenti repugnat, ſine quo conſtare ſubiectum non poteſt: veluti, neceſſe eſt animantia omnia in quibus pulmo inſit ſpirare, vt viuant. Res igitur quædam neceſſaria eſt reſpiratio, quòd ſine ea animantia quæ pulmonem habent vitam degere non poſſint. Quocirca aut hac aut ſuperiori ſignificatione neceſſarius hic liber dicitur. Nos verò non hac, ſed priore dictũ fuiſſe aſſerimus. Etenim prius quàm eſſet Porphyrius quid ſibi Philoſophorum vellent diſputationes non ignorabatur. Perſpicuũ ergo eſt, neceſſarium, eum proinde eſſe appellatum, quòd illorum nobis facilem expeditamque cognitionem pariat. Fieri autem nõ poteſt vt poſteriore ſignificato neceſſarius dicatur: quaſi ſine eo intelligi illa non poſſint. Neceſſitatem itaque non in opere, ſed in ipſa quinque vocum tractatione: qua ignorata percipi reliqua accuratè cognoſcique non poſſunt, ponimus. Quamobrem Porphyrius quoque non dixit cùm ſit neceſſariũ hoc opus: ſed, cùm ſit neceſſe hæc noſſe. Quippè multo antè tempore quàm de hac re quicquã Porphyrius ſcripſiſſet, neceſſaria eius fuit explicatio, vt quæ de Philoſophorum quæſtionibus literarũ fuerant tradita monumentis intelligerentur: quòd ſine his perſpici ea non potuerint. Fructus igitur is ex hoc percipitur opere, vt quæ ab antiquis ſparſim confuſeque tradita fuerunt, in vnum tanquam cumulum à Porphyrio coacta, breui atque enucleata diſputatione cludantur. Quamobrem non ſibi harum inuentionem rerum vendicauit: ſed inſtitui, inquit, quæ de quinque his vocibus à maioribus didici, explicare. Principiò autem de tribus hiſce diſceptat: de propoſito ac inſtituto, cùm ſe quinque voces tractaturum pollicetur: de vtilitate, cum librum hunc non modò vt Ariſtotelis Categoriarum rationem aſſequamur, verumetiam (vt in vniuerſum dicam) vt viam ac Philoſophiæ rationem omnem quæ quidem in inuentione cernatur intelligere ſanè queamus, neceſſariũ eſſe ait. Præceptionis porrò modum exponit, cùm apertũ eum atque euolutum fore dicit, & quid ad eorũ qui hiſce rebus primum inſtituuntur ſenſum accõmodetur. Nã obſcuris prętermiſſis quæſtionibus, ad eas, quæ paulò explicatu ſunt faciliores orationem conuertit, nec ſcribẽdo longius effunditur, ſtadioúe liberiore excurrit: nec perplexa atque inuoluta oratione vtitur, quò facilius iuuenes ad huius operis lectionem pelliciat. Coniunctio autem, Et, non ſolùm ad Categoriarum doctrinam, quæ ab Ariſtotele tradita eſt, ſed ad vniuerſam etiam Philoſophiam proficere hunc librum oſtendit: aut etiam ſi placet, non modò ad Ariſtotelis Categoriarum rationem, verumetiam ad reliquas omnes Categorias, eorum qui in idem argumẽtum

Quid neceſſarium efficiat apud Porphyrium.

Quomodo hunc librum Porphyrius neceſſarium eſſe dicat.

Huius libri inſtitutum. Vtilitas.

Præceptionis modus.

tum aliquando incubuerunt, hoc opus docet conducere. Multi enim ex Aristotelis necessariis ad eius imitationem Categoriarum, & de interpretatione, deque iudicandi arte libros confecerunt. Itaque non prodest solùm hic liber ad Categorias Aristotelis, sed etiam ad Archytæ, atque ad omnes denique philosophorum disputationes. Existit autem in ipso statim initio quæstio, absurda illa quidem & quæ nihil ad id quod agitur momenti afferat: sed præclare tamen se res habeat, si eã quod propter solutionum consyderationem iucunda ac fructuosa futura sit, explicauerimus. Ea igitur sic habet. Entis vnum necessarium est, alterum quod vt sit accidit, tertium existens. Necessarium est, quod assiduè sine vlla mutatione, aut varietate cohæret, quodque necesse est esse: vt, si sol super terram voluatur, esse diem. Quod autem accidit vt sit, id est, in quod contraria duo cadere possunt, veluti, vt legat, & non legat: quorum cùm neutrum reuera sit, ratione tamen vtrunque nititur. Existens autem eiusmodi est, vt ad actionem prouectum promotumque sit, ac contingens in rem ipsam inflexum. Quàm hæc igitur ens tam latè non patet, ab eo enim non commeat retrò vicissim status consequentia, vt in proprio ac definitione contingit, quæ mutuò in seipsis dicuntur, sibique inuicem subiecta sunt. Hæc enim inter se duo adæquant. Nam aut subiectis rebus prædicata, aut prædicatis res subiectæ sunt æquales, proprium & definitio. Quid autem est subiectum, quid prædicatum? Subiectum est, cui est adiectus articulus: Prædicatum, cui est, aut re ipsa, aut ratione additur. Nam cùm prædicata vocabula sint aut verba, vocabulis re vera vox adiungitur: in verbis ratione sola hæret: veluti si homo dixerim, subiectum protuli: sin animal est, adiecerim: prędicatum dixi. Ens ergo non æquè, siue de alio dicatur, siue ei quod necessarium est esse, aut quod vt sit accidit, aut quod est subiiciatur, sed latius patet. Non enim vicissim consequens est, cùm rei status exquiritur. Nam si ea sint continuò, sequitur ens esse: Ens autem si sit, nõ necesse est illa esse: sed si quod ex his constiterit, cohærere alterum non potest, veluti si quod esse accidit sit, necessariũ non erit, neque ὑπάρχον. Atqui si ens in rei status consequentia non reciprocatur, latius ergo illis manat omnibus. Quamobrẽ igitur Porphyrius, cum prædicationes omnes æquè latè ac subiectum patere velit, & id quod inferius est reiiciat, hoc loco necessarium, quod arctiùs constringitur, de eo quod plures in res transferri potest, nempè ente, extulit? Inferiora igitur nunquam de iis quæ supra se sunt posita enunciari illa quidem possunt: sed ens latius non patet quàm necessariũ. Nam latius ea propriè manare dicuntur vocabula, quæ cùm de multis dicantur, sintque in multis posita: res tamen vna quædã, si quis ea per se intueatur, sunt, atque sua ipsa vi cohærent, vt animal. Nam de cane id, & homine, & equo dicitur, in iisque ipsum hæret: & insuper statum proprium habet atque constantiam. Quocirca animal etiam definimus essentiam esse, sensus atque animationis participem: quia quæ per se non constant, vocesque sunt ambiguæ, vt canis, Aiax, cæteraque eius modi, dici non possunt manare latius. Nam ea simplices sunt voces, non res. Verùm antequã alio quippiam patere dicatur latiùs, id principio sua vi cohærere est necesse, tumque demum latius effundi. At verò ens (quia statum non habet proprium, sed solo conspirant nomine, necessarium, contingens, & existens) nullo eorum manat latius: siquidem vox solùm est. Præterea si ens patere latius arbitrantur, ipsum omnino vt genus ita affici putant. Genus autem eadem sectum temporis serie, vt formæ cohæreant efficit, quanquam prius nihil posteriúsue sit. Fatendum igitur illis est, eodem temporum ordine existere, necessarium, contingens, atque existens: quod fieri non potest. Siquidem necessariũ semper habet: contingens & existens, aliquando. horum ergo ens genus non est: nec proinde necessario latiùs patet. Nam ens vox est ambigua, ac non genus. nec est natura quæpiam auulsa ac separata, qua res omnes singulæ contineantur, quale genus esse solet. Insuper res omnes aut indistinctè, aut cum distinctione eloquimur. Sunt autem distinctiones quatuor, Omnis, quidã: nõ omnis, nullus. Quas idcirco προσδιορισμοὺς, id est distinctiones definitionesque vocatas ferunt, quòd ex his, qui differit rem vnam quanque finiat, siue rem vniuersam definiendo explicare volumus, siue singulam. Nam qui, omne, dixerit, rem totam & omnino enunciabit: qui, quidã, quod in singulis erit rebus positum effabitur. Quæ cùm ita sint, cumque Philosophi omnes doceant, rem indistinctè eloqui idem ac quadam ex parte, non in totum enunciare valere. (Nam quidam homo venit, idem atque homo venit efficit) Porphyrius quoniam indistinctè ὄντος ἀναγκαίου dixit, nec παντὸς adiecit, ens quod singulis in rebus cernitur intellexit: ac si dixisset, quoddã ens est necessarium. At verò natura quæ in rebus versatur singulis æquè patet atque necessarium, quemadmodum inter eos etiam constat. Quamobrem etsi simplex vox ens non esset, sed per se ipsum cohæreret, vt animal: non malè tamen in ente necessarium dixisset, cùm id pręsertim enũciasset indistinctè. Iam verò cùm res significamus, nominandi eas casu efferimus, ac dicimus, homo, equus, bos: cùm verò partẽ earum aliquam consecutionesúe notamus, generãdi vtimur casu. Cùm enim dicimus, Socratis, aut partem eius aliquam, vt manum, vel caput: aut eorum denique quippiam quæ ad ipsum attinent, veluti domũ, aut librum intelligimus. Quòd si Porphyrius ὂν ἀναγκαῖον

Vniuersa hæc ratio in Latinã interpretationem cadere non potest, quòd generãdi Græcorum casus à nostri sermonis consuetudine in hoc præsertim genere abhorreant. Quocirca ut hæc ad nostrũ morem cõuerterẽtur aptiùs Græca interim adiicere sumus coacti: ne quid in hoc nostro labore à Philosophiæ studiosa iuuentute desyderaretur.

καίου ἐσὶ nominādi casu dixisset,rē profectò ipsam erat significaturus:potuitq; eo modo videri in toto partē dicere:nūc verò cū ὄντος,casu generandi protulerit, necesse est eū non rem,sed eius aliquā partem,aut eorū quæ rem consequuntur quippiā explicasse.Necessariū autē æquè latè ac pars naturæ quæpiā manat,quemadmodū homo æquè ac quoddā animal patēre perspicitur: & manus, æquè ac quoddā eorum quæ in homine insunt manat.Hac igitur ratione quanquam per se constare ens dixerimus,non improbè tamen in ente necessariū Porphyrius enunciauit: quandoquidem id iam sumus largiti.Nam in æquali æquale dixit.Ad hæc alia quoque ratione,naturæ,atque accidentiū,& reliquarū Categoriarum ens non esse genus ostenditur.Nam in iis quæ prius aliquid posteriusque habēt quod cōmuni ratione dicitur,genus non est.Siquidem genus formarū genus est. Porrò formæ eadē ratione simul temporis constant,atque in seipsis non in aliis hærēt. Quòd si accidens est natura posterius,in eaque planè nititur: posterius est cōtingenti,eiusque vi,continetur. Igitur ens cōmuni de iis nomine,non eadem ratione & definitione dicitur,cùm ipsum genus non sit:quoniā prius in his posteriusq; versatur. *Ens non esse genus.* Verùm vndénam intelligitur accidēs in ipsa hærere essentia,& cōtingenti:minimeq; in ipsis niti existēs? Quia essentia & cōtingēti sublatis,tolli,& funditus interire accidēs,atque existēs necesse est.Atqui si ex ente species diuisæ atque inter se oppositæ essent:nec per ea cōstarent,non hisce formis sublatis,vt essentia & contingenti,alterū tolleretur:Nō enim si qua animātis species interierit,vt canis & equus, reliquæ etiā omnes extinguētur, veluti homo,vel bos,vel camelus,& multæ aliȩ species eiusdē generis.Ac de quȩstionis quidē hactenus hisce modis vitiis,solutionūq; cōcinnitate diximus. *Quæstio.* Porrò autē initiū etiā nōnulli quasi vitiosum reprehendūt,aiūtque:Si ens est ambiguū,ambiguū verò est infinitū:ens igitur est infinitū. Ab infinito autem initiū sumi non debet. *Dilutio.* Dicimus ergo ens ambiguū non esse : sed ab alio capite declinatū,vt à medicina,liber medicus,ac medicū fluxit instrumētum.Eòdem autē vergunt liber medicus,& instrumentū medicum,nempè ad valetudinē.Cȩterùm quid sit id quod ab vno ortum atq; deriuatū dicimus,cùm ad Categorias erit peruentum intelligemus. Nunc quāobrem ens necessario præposuerit videamus.Eius igitur triplex est ratio.Primùm,ens, ꝙ generalius esset, præposuit.Deinde propter orationis ornatū atq; lepôrem.Nam si ἀναγκαίου ὄντος dixisset, non vsqueadeo splendida atq; illustris futura erat oratio,sed hiulca quadā dictionis vastitate interrupta: tum vt ab iis quæ patent latissimè initium ducamus. Cùm igitur ab iis aliquando auspicari instituisset Porphyrius,ens primò posuit loco.Sed enim quāobrem nō dixit,cùm æquum sit,aut vtile, aut bonum:sed,cùm sit necessariū? Dicendum ergo est factum id ob alteram duarum diuisionum esse.Nam bonum & vtile mutuo quodam inter se nexu vinciuntur : atq; vtile quidem duas habet partes,eam quæ eodem cum genere nomine continetur commoditatem,& necessarium . *Quid inter utile,bonum & necessarium intersit.* Bonum verò est,quod propter se expetēdum est,vt beatitudo,pietas : vtile autem quod à necessario seiunctum è regione ei velut opponitur:quod nec si adsit rem tuetur atque conseruat, nec si absit perimit:vt,huius aut illius modi vestis.Necessarium autem eiusmodi est,vt si adsit conseruet, atque si absit extinguat,vt respiratio.Prætereà duo sunt necessarij genera:alterū, quod propter se exoptamus,quodque nullo discrimine à bono secernitur : vt,felicitas,valetudo: Alterum, quod propter aliud sequimur,vt medicamentum,ac venæ incisio . Priore igitur significato quinque vocum cognitio necessaria est:quia ad Categorias,& ad vniuersam disserendi rationem conducit . Sex ergo modis huiusmodi necessarium habetur.Dicitur enim necessaria materia, & homini rationis particeps necessarium esse perhibetur:& quod propter se quidem fugiendum declinandumque est,id tamen propter aliud expetimus:& quod propter se optabile est,& quod propter se neq; exoptandum neq; fugiendum, illud quidem est,propter aliud tamen appetitur, qualia sunt medicamenta quædam:& quod propter se & propter aliud sequimur . Qua quidem extrema significatione necessarius hic liber appellatus est , quòd propter se ac propter aliud necessarius sit.

BOETIVS.

Cùm veteres philosophi cernerent se in varios errores præcipites labi,falsaque pro veris accipere,scientiam indagare cœperunt:quæ veram disputandi legem teneret , quaque adiuti verum à falso distinguerent, nodosque quibus impediebantur enodarent.

Quȩstio est an logica sit philosophiæ instrumentum an ȩtiam pars?Sol.nihil dicimus impedire vt eadem logica partis vice simul instrumentique fungatur officio . Quoniam enim ipsa suum retinet finem,isque finis à sola philosophia consideratur:pars quidē philosophię ponenda est esse. Quoniam verò finis ille logicæ quē sola speculatur philosophia ob alias eius partes suam operam pollicetur,instrumentū esse philosophiæ non negamus.Est enim finis logicę inuentio,iudiciumq; rationum.Nec mirandum est.manus enim ad tractandum,oculi ad videndum,cȩterȩque corporis partes proprium quoddam videntur habere officium . quæ tamen si ad totius vtilitatem corporis referantur,instrumenta corporis esse quædam depȩhenduntur , quæ etiam partes esse nullus abnuerit.Itaque

nuerit. Itaque logica disciplina pars quædam philosophiæ est, quoniam eius philosophia sola magistra est. Supellex verò est, quod per eam inquisita philosophiæ veritas vestigatur.

Cùm Aristoteles rerum genera collegisset, quæ numerum diuersarum sub se specierum continerent, quæ species nunquam diuersę forent nisi differentiis segregarentur: cumque in substantiã atque accidens: Accidens verò in alia prædicamenta soluisset, cumque aliquorum prædicamentorum sit propria persecutus, de his ipsis quidẽ prędicamentis docuit. Quid verò esset genus, & quid species, quid differentia, quid illud accidens de quo nunc dicendum est, vel quid proprium, velut nota præteriit. Ne igitur ad prædicamenta Aristotelis venientes quid significaret vnumquodque eorum quæ superius dicta sunt ignorarent, hunc librum Porphyrius de earum quinque rerum cognitione perscripsit, quo perfecto & cõsiderato quid vnũquodque eorũ q̃ suprà posuit designaret, facilior intellectus ea quæ ab Aristotele proponerentur addisceret. hæc quidem intentio est huius libri, quem Porphyrius ad introductionem prædicamentorum se conscripsisse ipsa vt dictum est, tituli inscriptione signauit. sed licet ad hoc vnum huius libri referatur intentio, non tamen simplex est eius intentio, sed multiplex, & in maxima quoque diffusa est, quã idem Porphyrius in principio huius libri commonet. Vtilitas huius libri quadrifariam spargitur. est enim per hoc opusculum & prædicamẽtorum facilis cognitio & definitionum integra assignatio, & diuisionum recta perspectio, & demonstrationum veracissima conclusio.

* Dialectica est diligens disserendi ratio. disseremus autem si nihil eorum quæ ad artem pertinent omiserimus, vt scitè scribit philosophorum princeps Aristoteles. 2. c. 1. topicorum. dicitur à verbo græco διαλέγομαι quod est dissero. Veteres Peripatetici artem disserendi logicen vocauere, à dictione λόγος sumpta pro argumento, non pro sermone. Tunc enim grammatica & rhetorica quæ circa sermonem versantur, logicæ nuncuparentur. adhæc veteres dialecticos appellabant qui in schola & vmbra, de communibus thematis disputarent: quemadmodum rhetoras qui in foro causas agerent. Materia circa quam finis dialectices versatur pręcipua, est thesis. subiectum verò quibusdam videtur argumentatio, quibusdam demonstratio, quæ est pars argumentationis. Dialectices duæ sunt partes, quarum vna excogitandi argumenti viam docet, ac proinde τοπικὴ dicitur: cui parti omnis de locis destinatur disputatio: altera formas quasdam tradit argumẽtandi, quibus diiudicari expendique argumentum possit, nominaturque κριτικὴ, id est iudicandi ratio. Cæterùm cum iudicium triplex sit, primũ naturę, secũdum in qualibet arte sparsum, quod nihil aliud est quàm prudens existimatio qua veluti numi moneta, materia inuenta consentanea sit an dissentanea, dignoscitur. Nam de re quam quisque nouit, optimè iudicat. Tertium quod cernitur in syllogismorum figuris. dialecticam non solùm vtilem esse ad theologiam & medicinam, sed etiã ad intelligẽda poetarũ, philosophorũ, atq; aliorũ eius generis autorũ scripta, iuuenes vel mediocriter eruditi satis intelligunt. At imperitis qui hanc vocant ieiunam spinosam squalidam horridam, nihil potest satisfacere, quia nullius ne minimũ quidem artis vsum videre potest vllus, nisi præceptis & experientia denique adiutus, qua carẽt imperiti. Sicut enim ab arbore nemo suauem, & mitem decerpit fructũ, nisi solis & temporis beneficio maturuerit. Ita nullius disciplinæ vsum, & fructum quisquã degustat, nisi eius animus discendo disserendoque emollitus maturuerit, & per experientiam suæ artis materiam subegerit, atque decoxerit. Est præterea manifestum insaniæ genus, aspernari verã disputandi legem q̃ nobis iter sternit paratque ad rerũ humanarũ atque diuinarum cognitionem. Sed non miror. Nam fere non damnantur artes, nisi vel ab imperitis, qui cum mentes habeant monstrosas & omni scelere obrutas, eas priusquam nouerint oderunt: adeoque verè dicitur, quòd scientia non habet inimicum nisi ignorantem. Vide Platonem in Cratylo, & in septimo de repub. Ciceronẽ sub finẽ. 3. lib. de finibus bonorũ & malorũ, & de claris oratoribus. Quintilianum lib. 12. institut. orat. cap. 2. de philosophia loquentem. Rodolphum agricolam lib. 2. cap. 2. de inuentione dialectica. Arist. 2. capi. libr. 1. topicorum.

Vt facile est videre ex physicis, naturam ars imitari conatur. Et quemadmodum primò, paruo quodam à principio ortum omnes trahunt, tum deinde augescentes, eò paulatim per gradus quasi quosdam perueniũt, quod in vniuscuiusque natura perfectissimum est: ita & artes imperfectę sunt, deinde temporis beneficio perficiuntur. Sic enim se res habet, vt quemadmodum homines labori assiduo assueti, cùm tempestatis caussa opere prohibentur, ad pilam se aut ad tesseras conferũt, aut etiam nouum sibiipsi aliquem excogitant in ocio ludum, sic qui artes inuenerunt à negociis forensibus & publicis tanquam ab opere aut tempore exclusi, aut vrbano opere defessi, aut volũtate sua feriati, totos se alij ad poëtas, alij ad Mathematicos contulerunt: alij etiam vt Dialectici nouũ sibi ipsi studium ludumque pepererũt. Itaque primò Philosophiæ ratio circa res naturales versabatur, deinde accessit Socrates qui ethicen adiecit. Plato Dialecticen: cuius discipulus perfecto iam fermè operi extremam manum apposuit.

Philosophia

Philoſophia vt placet Stoicis,animali aſſimilatur:cuius vna pars vt dialectica, neruis & oſſibus ſimilis eſt: phyſica,animæ.Moralis carni. ex quibus prōptum eſt videre,abſq; dialectica cæteras diſciplinas non poſſe ſatis commodè ſuos fines tueri.

Diſſerendi ratio organum manuſque philoſophiæ dicitur, organum quidem hoc eſt inſtrumentum,quòd reliquis diſciplinis inſtrumenta miniſtrat. Manus verò quoniā vt manu vtimur ad plurimas operationes obeundas,ſic dialectica ad diſſerendum de omni quæſtione nobis propoſita.Platonicis & quibuſdam Peripateticis placet partem vocari,vt tradit argumentationis componendæ præcepta. quod ſi quis obiiciat ſine dialectica homines natura duce diſputaſſe,verumq; à falſo diſtinxiſſe,Reſpondebimus naturam imperfectam eſſe,eiuſque defectum artem emendare.

Ordo in diſciplinis ſeruandus,qui inter principia & ea quę ex principiis tum inter communia & propria ſeruatur,eſt debita progreſſio à notioribus ad ignota. Qui quidem modus procedēdi ſi à ſuperiorib⁹ ad inferiora ſit,vocabitur naturalis.ſin à particularib⁹ ad vniuerſalia,ſenſibus erit idoneus.adhæc ordo alius cōpoſitorius,alius reſolutorius.naturę compoſitio fit à ſimpliciſſimis:reſolutio verò fit à compoſitioribus.eſt & alia cōpoſitio rationis, de qua dicendum aliàs erit.

Cognitio in nobis cernitur quędam prima hominibus naturalis appellata, quæ eſt à facilioribus,cuiuſmodi ſunt effectus,accidentia & ſenſibus peruia:quæ eſt à cauſis & ſecundum naturā primis,quæ ſolet vocari diſtincta.

Porphyrius ex Phoenicia ortus,multo tempore in Platonicorū doctrina verſatus eſt, & ideo Academicus dictus:tandem ad Peripateticorū libros ſe contulit,quorū admiratus energiam & frugē, relicto Platone Ariſtotelē inter philoſophandū pro viribus imitatus eſt: Cumq; nobili proſapia Chryſaorius Peripateticæ doctrinę ſtudio incenſus,rogaret Porphyriū pręceptorē vt formulam quandam ſiue cōpēdioſum tractatum & qui pertineret ad erudiēdos adoleſcētes, ſcriberet: quò facilius quæ de decem rerū generibus ab Ariſto.dicta ſunt perciperet:totiuſque philoſophiæ finē aſſequeretur.Porphyrius tum ea in re vltro omnem operam pollicitus eſt. & vt fidem ſuam liberaret,hunc de quinque vocibus librum conſcripſit.In quo inſtituit nobis genus,ſpeciem, differentiam,proprium & accidens tradere,vt ſecunda impoſitione & indefinitè ea ſignificāt quæ pluribus vniuocè,hoc eſt,vno conceptu conueniunt: hoc enim vocabulum genus & animal eandem rem ſignificāt, ita tamen vt genus diuerſa ab animali, vt colorem,virtutem,repræſentet.

Inter libros logicorum,liber de quinque vocibus,categoriarum,& liber περὶ ἑρμηνείας primi ſunt,quoniā ſuggerunt cuiuſlibet argumētationis materiam, hic propinquam,ille ſimpliciſſimam. elenchorū ſophiſticorum libri vltimi ſunt, quia oportet prius ſcire rectū quàm obliquum. priora verò analytica in quibus agitur de ſyllogiſmo in vniuerſum,natura pręcedunt libros poſteriorum,quibus agitur de demonſtratione quæ eſt ſpecies ſyllogiſmi.Topica poſterioribus Analyticis ſubiiciūtur,quēadmodū probabilia ex quibus ſyllogiſmus dialecticus contexitur,tractatione poſteriora ſūt neceſſariis.ex quo manifeſtū eſt tres primos libros ad inuētionē,vltimos verò ad inuentionē & iudiciū pertinere. Huius libri tres ſunt partes,proëmiū,quinque vocū narratio,& quid omnibus cōmune ſit expoſitio.proemium partibus quatuor abſoluitur:in prima voces enumerat,in ſecunda neceſſitatem & vtilitatem proponit,in tertia quęnam quęſtiones ſint dignę logico,in quarta quem philoſophum potiſſimum ſtatuerit imitari.

Cùm ſit neceſſarium, Chryſaori, & ad eam quæ eſt apud Ariſtotelem prædicamentorū doctrinā,noſſe quid ſit genus, & quid differentia,quidq; ſpecies,& quid proprium,& quid accidens:cumque ad definitionum explicationem,& omnino ad ea quæ de diuiſione & demonſtratione traduntur vtilis harum rerum conſyderatio ſit: compendioſam tibi traditionem faciens,tētabo breuiter,velut introductionis modo,ea quæ ab antiquis dicta ſunt explicare,me ab altioribus quidem quęſtionibus continens,ſimpliciores verò mediocriter coniectans.Nunc de generibus & ſpeciebus, ſubſiſtātne,an in ſolis nudis intellectibus poſita ſint. Et ſubſiſtētiāne corpora ſint,an incorporea: & vtrum ſeparata,an in ſenſilibus poſita ſint, & circa ea conſiſtentia:dicere recuſabo. Altiſſimum enim eſt huiuſmodi negotium, & alterius maioris egens inquiſitionis. Illud verò,quemadmodum de his,ac de propoſitis rationabilius antiqui tractauerunt,& horum maximè Peripatetici,tibi nunc tentabo monſtrare.

ET AD EAM QVAE EST APVD Ariſtotelem prædicamentorum &c]. Nam Ariſtoteles in Categoriis de ſummis decem vocibus diſſerit, & differentiis ipſas ac proprio inter ſe diſtinguit. Cùm igitur eo in loco Ariſtoteles de generibus & differentiis atque propriis diſputet, vtile eſt noſſe quid ſit Genus, quid Differentia, quid Proprium, & quid Species, vt eorum facilius rationem aſſequamur. Vtitur autem, Et, copulatione: quoniam non ad Categorias modò hic liber conducit, ſed etiam ad ea omnia quæ ille paulò pòſt ſubnectit. Nõnulli autem inquiunt eum dixiſſe, & ad Ariſtotelis Categorias, vt ad eas quæ ab Archyta ſunt traditæ: cùm ad eas harum cognitio vocum conferat. Cæterum abſurdum eſt iſta dicere, præſertim cùm & ipſe Porphyrius reliqua demum explicet, ad quæ generis, ſpeciei, ac reliquorum cognitio aliquid momenti habet. Differentiam porrò ſpeciei præpoſuit, quoniam forma diſſimilitudine ordine naturæ prior eſt. quamobrem autem genus differentiæ antetulerit, ſuo loco, in ipſo orationis progreſſu oſtendemus. Quæ verò hoc tempore tradere Porphyrius inſtituit, hæc ſunt: Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens. Sed exiſtit deinceps quæſtio, quid cauſſæ ſit cur hac collocatione diſpoſitioneque voces Porphyrius diſtinxerit. Temerè enim & ſine ratione id neceſſe non habuit efficere. Verùm id quò facilius intelligatur, harum rerũ principium repetendũ altius videtur. Principio rerũ vniuerſæ aliæ, atq; aliæ ſingulæ ſunt. Quandoquidẽ enim futurum erat vt ſingulæ res occiderent & quaſi extinguerentur: vim aliam quandam generaliorem natura commenta eſt, qua hæc omnia continerentur, quæque eorum ſpeciẽ tueretur & conſeruaret: eaque Genus, Speciéſue appellatur. Nam hæc eſt natura horum atque vis. Cæterum ne harum rerum ſimus imperiti atque ignari, exemplo adhibito dilucidè quid horum quidque ſit explicemus. Socratem itaque & Platonem, & ſingulos omnes homines, eodemque modo Xanthum & Baliam & equos ſingulos, res ſingulas Philoſophi atque indiuidua nuncupant. Quæ autem ſingulas res ſuo velut ambitu complectuntur, formas appellant: veluti hominem vniuerſum. Nam vniuerſus homo eos, qui ad ſingulas hominis partes pertinent comprehendit. Iam verò quæ hæc etiam ipſa continent genera vocant, vt animal, quod & hominem & equum complectitur. Inter hæc autem mediæ iacent differentiæ. Differentia verò eſt, vt & ipſe paulò pòſt docebit, qua differunt ſingula. In ea enim rerum diſcrimina verſantur, cùm nulla in genere vniuerſo aperta diſſimilitudo eluceſcat. Nam animal genus illud quidem eſt, ſed eo diſtare res inter ſe & diſiungi non poſſunt: ſiquidem tam equus quã bos & canis animantia appellantur. At verò ſi animal in particeps rationis & ratione carens diduxero, diſſimilitudinem ea diuiſio peperit, qua ab equo homo, & boue, cæteriſque animantibus quæ rationis ſunt expertia, ſeparatur. Id autem rationis eſſe compos dicimus, quod vitam rationi conuenienter atque iudicio degit, vt homo, angelus: vacare verò id ratione dicimus, quod temerè ac citra delectum ætatem tranſmittit, veluti equus, bos, cæteraque animantia quibus nulla eſt naturâ inſita ratio. Quamobrem arctius ea quàm genus conſtringitur, ac latius formis manat, veluti ratione præditum, ac mortale. Nam ratione præditum anguſtius animante comprimitur: ſiquidem & hoc animal comprehendit. Sed latius tamen patet quàm ſpecies. particeps enim rationis ſpecies permultas continet: quandoquidem & hominem & angelum comprehendit. Præterea differentia æquè vagè ac genus non effunditur, quia ſub genere ſubiecta eſt: quanquam plures in res quàm genus transferri poſſit, quatenus duo quædam complectitur nempe ratione præditum, & expers rationis: quibus animantia omnia ſubiiciuntur. Species autem rem modò vnam comprehendit, vt vel hominem, vel equum, quæque huius ſunt notæ. Adhæc proprium in vnam aliquam cadit ſpeciem, eamque totam, vt in hominem, ad riſum eſſe natum. nam id in ſolo totóque homine, & vtique intelligitur. Accidens porrò eſt, quod accedit & recedit, ſine eius rei in qua ſitum eſt corruptela, vt candor, ator, ſedere, ſtare. Itaque horum omnium partim rerum eſſentiam naturamque conſtituunt: partim extrinſecus adhibentur. Rerum ſubſtantiam complent genus ac ſpecies, &, quæ inter hæc media iacet, differentia. Quæ omnia idcirco etiam naturalia appellantur, quòd vniuerſum animal efficiant. Nam vnumquodque horum trium in animante eſt poſitum: vt verbi gratia, in Socrate. Quia enim animal eſt, genus habet: quia verò rationis eſt compos & mortalis, differentiam: & quia homo, formam. Eodemque modo Plato atque Alcibiades. Reliqua duo naturæ cõſecutiones reſque nominantur inductitiæ: Proprium ſcilicet & Accidens: quoniam ea nihil ad attributam eſſentiæ, ſubiecti definitionem valent. Cæterum propius quidem ad ſubſtãtiæ vim atque naturam Proprium accedit: quia id alicui rei ſemper cõuenit: longius. Accidens remouetur, quia in re partim ineſt partim nõ ineſt. Hæc autem ſeparari poſſe dicuntur, quia vt ſubiectum ſaluum incolumeq; permaneat, tolli de rebus reuellique ratione poſſunt: alioqui enim qui atro colore infecti atque imbuti ſunt, nõ eſſe homines neceſſe eſſet. Quod eſt abſurdum. Atque etiam quanuis riſus facultatẽ ridendo abiicimus, homines tamẽ nihilominus eſſe nõ deſinimus: quippè qui humanis omnibus officiis muneribuſq;

fungamur

fungamur. Quæ cùm ita sint, quo progressus ordine sit Porphyrius, etiam atque etiam vide. Quæ enim naturalia sunt, & rerum essentiam complent atque efficiunt præposuit, ac posteriore loco inductitia est executus. Itemque inter ea quæ in naturæ posita sunt ratione, genus, vt quod pateret latius, præposuit: deinde differentiam, quòd minus quàm genus esset generalis, subiecit: tumque formam, quòd pauciores in res quàm differẽtia transferretur, exposuit. Insuper in iis quæ cuiusq; rei naturam consequuntur, quoniam propius ad essentiæ vim proprium videtur accedere, idcirco prius de eo disputauit. Postremo autem loco de accidente disseruit, quòd id illis omnibus quę exposita à nobis sunt vacet, quodque id solum sine eius rei in qua situm est interitu, adesse possit atque abesse. Sed existit quæstio, quonam modo ex opposito formæ atque generis accidens diuidatur, cùm in hęc etiã ipsa fundi illud atque secari possit. Dicimus ergo interesse plurimum rémne vt per se cohæret, an vt ad aliud quippiã affecta est intueamur. Nam cùm rei vnius cuiusque vim atque naturam cõteplamur, aliud in essentia numeramus, in quantitate aliud, atque aliud in qualitate: & alia in reliquis eiusdẽ generis. At verò cùm Categorias eas quæ sunt post essentiã sitæ cõsyderamus, vt quæ sua vi cohærere non possint, illiúsque, vt constent, opem requirãt: accidere eas naturę dicimus. Rursum in quaque Categoria, cùm generaliora quædam, quædam formis affiniora, quædam quibus quæ formis potius conueniunt ab iis quæ manant latius secentur: horum aliud genus, aliud differentiam, aliud speciem nuncupamus. Quocirca res vna & eadem, alia atque alia ratione intellecta, vel genus, vel species, vel differentia vocatur: quibus quæ sunt in Categoriis posita inter se dirimuntur. Præterea aliud natura atque aliud accidens appellatur.

CVMQVE AD definitionum explicationem, & omnino ad ea quæ de diuisione & demonstratione traduntur, vtilis harum rerum consyderatio sit]. Nosse est operæprecium in primis, aliã esse Aristotelis, atque aliam Platonis dialecticen. Nam quæ ab Aristotele tradita est, probabilitatem quinque sequitur modis: vt in topicis ipse edisseruit: quæ autem est à Platone explicata, quadripartitò in diuisionem, finitionem, demõstrationem, & resolutionem funditur. Quod ergo vtile est vt rem quamque definiendo explicemus, & vt quæ de Demonstratione & Diuisione præcipiuntur intelligere sanè queamus, in eo profectò ad percipiendam Platonis Dialecticen momenta plurima erunt. Quod si ita est, ad vniuersam id etiam Philosophiam magnum afferet adiumentum. Nam ea sic in vniuersum diducitur, vt aut diuisionis, aut finitionis, aut demonstrationis, aut etiam resolutionis iudiciique vim habeat. Hic est igitur germanus huius loci intellectus. ac si diceret Porphyrius, hoc opus non modò ad Philosophorum libros intelligendos conferre, verumetiam quanquam nulla fuissent edita ab iis opera, momenti tamen plurimum ad eorum rationes commentarium hunc allaturum fuisse: quibus rem quamque facilè possunt inuenire. Sed quę sit horum vis atque natura deinceps dicamus. Partis eius quæ tota in diuisione versatur, munus est, vt propositum genus ritè in proprias differentias secet: vt animal in rationis compos, & ratione carens: in mortale, & immortale: nec ea in membra animal tribuat, vt aliud hominem esse, & aliud equum, atque aliud rem quamlibet aliam dicat. Similes enim hi sunt, vt traditum est à Platone, coquis qui carnes perperam ac non articulatim diuidunt: id est rudibus atque imperitis hominibus. Eius verò quæ in finitionibus versatur officium est, ac munus, proprias rerum omnium definitiones explicare. hæc autem eam cui insita est diuidendi vis, quęq; prior est, sequitur quia eius vtitur adiumentis. Nã definitiones ex genere constãt & differentiis iis, quibus diuisa genera constituuntur. A genere ergo quod diductum iam atque in partes sectum fuerit, qui definitionem cupit struere, quæ ad definitionũ rationem conferunt, haurit: vt, cũ viuens essentia in animal & plantam, atque animal in rationis particeps & rationis expers distributum fuerit, qui finire hominem volet, inde animal, mortale & rationis particeps deliget. Porrò quæ in demõstratione versatur, rerũ demonstrationes è propria earũ natura extruit. Non enim vt oratores fidem ex gloriosis & illustribus personis petunt: sic se demonstratio habet, sed vt Plato animæ immortalitatẽ probaturus, naturę eius definitione est vsus, dicẽs, animũ in seipsum mouere: quod seipsum mouet, perpetuo motu cieri: quod autẽ semper mouetur, id æternum esse: animũ igitur esse æternum: ita qui demõstrationẽ volet nectere, agere est necesse. Nã veræ demonstrationes ex definitionibus oriuntur. siquidẽ definitiones quid sit id de quo agitur explicant: necesseque est demonstrationes ex vi & natura rerũ, nõ ex iis quæ assumpta extrinsecus rẽ non necessariò comitantur, effici. Quocirca ordinẽ tertiũ demonstratio sortitur, quandoquidẽ definitionis indiget, quæ ipsa diuisionis opẽ requirit. Postremò autẽ munus eius partis quæ in resolutione ponitur est, res cõcretas in simplices ex quibus coalescunt dirimere: vt orationem in vocabula ac verba, & hęc in syllabas, & syllabas in elementa. Atque hæc quidẽ grammatici. Philosophi autẽ ij, qui in naturæ explicatione versantur, idẽ in rebus ipsis efficiũt. hominẽ enim in caput, & manus, & pedes diuellũt. Atq; hęc ipsa in ossa, carnes, & neruos, distrahũt: tumque demũ quæ huius sunt generis in quatuor elemẽta partiũtur atque

Plato in Phædro.

diducunt:itemq́ue hæc in materiam ſpeciemq́ue ſecernunt. vtimur autem parte ea cuius omne opus eſt in reſolutione poſitum,in concluſionibus:cùm eas in enunciationes,tumq́ue has in voces diſtribuimus:vt in arte iudicandi Ariſtoteles exponit. Omnium igitur prima ea eſt quæ diuiſionis,ſecunda quæ definitionis, tertia quæ demonſtrationis, ac quarta quæ reſolutionis vim habet. Verùm trium duntaxat meminit,quia hic liber ad earum ratione̅ proficit: genera enim tradit atque ſpecies. Nam qui rem qua̅q; partitur, genera ritè in formas propriis diſcerpit differe̅tiis. Qui verò rem definiendo explanat,finitionem è genere atque diſſimilitudine connectit. Qui aute̅ demonſtrat,à definitionibus demo̅ſtrationes ducit:definitiones porrò ex genere diſtinctionibusq́ue conflantur. Inſuper,quòd tres illæ mutuæ opis viciſſitudine quadam egeant:nam quæ rerum finitiones exhibet,eius quæ in partitione ſita eſt nititur adminiculis:quæ verò in concluſione conſumitur neceſſaria,vtriuſque eget. ſiquidem qui demonſtrationes efficit, rerum finitiones ex earum ducit cognitione:inſuper autem quæ rerum tradit finitiones,diuiſionis ope̅ requirit. At verò quæ in reſolutione verſatur, nulla earum indiget. Namque contraria eſt ei quæ rem partitur atque in membra dirimit: quoniam vt illa multa ex vno efficit:ita hæc ex multis in vnum definit. Hominem enim in partes diſtrahit,& has in humores: & humores in elementa, & hæc ipſa in ſpeciem atque materiam diducit. nam & ipſa initia ex materia atque ſpecie coaleſcunt. Aut etiam quia qui rem partitur atque diuidit,à ſimplicibus ad concreta proficiſcitur:qui verò reſoluit,à concretis ad ſimplicia deuoluitur,quinetiam is eſt definienti co̅trarius,quia eſſentiam ille connectit atque conſerit,hic demolitur ac diſſoluit. Præterea ſi diuidenti opponitur,ſine quo qui definit explicare re̅ definitione non poteſt:definienti profectò atque demonſtranti repugnabit. Nam ſi demonſtratio definitionis atque diuiſionis indiget,cùm contraria illis ſit reſolutio,nimirum demonſtrationi ea quoque contraria erit. Cæterùm quamobrem definitionis prius quàm diuiſionis meminit, idque cùm ea prior ſit? Quia horu̅ explicare definitiones inſtituerat. Porrò nonnihil intereſt inter compoſitionem & reſolutionem,non quidem quod ad ſubiecti vim atque ratione̅ attinet (nam vt accliue & decliue,ita compoſitio planè atque reſolutio inter ſe conſentiunt)ſed affectione du̅taxat.

Quid interſit inter compoſitionem & reſolutionem.

Nam cùm à ſuperioribus ac primis initiis ad extrema delabimur,compoſitio eſt. At verò cùm ab vltimis ad principia ſumma contendimus,oritur reſolutio:quia compoſitio in concreto,atque reſolutio in ſimplici definit. Qui enim reſoluit,compoſitum quippiam reſoluat neceſſe eſt: infinito alioqui labore ac moleſtiis conficiendus,ſi quod ſimplex eſt atque incompoſitum nitatur reſoluere. Adhæc concreta ex ſimplicibus multis conflantur: itaque qui reſoluit,in multa reſoluat oportet. Falſum igitur fuit,eum qui reſoluit,compoſitu̅ ipſum in rem ſimplicem reſoluere:veritati verò eſt aliqua ex parte conſentaneum,vt is in multa coniuncta rem reſoluat,atque vltimu̅ in vnum. Dicamus ſi poſſumus apertius. Quod ſimplex eſt,in multa illud quidem componi, ſed in rem ſolet reſolui nullam. At verò compoſitum vltimum in coniuncta multa reſoluitur,non etia̅ in vnum ſupremum componitur. Dubitant autem nonnulli cur definitionem, cùm ea ſit diuiſione poſterior,præpoſuerit. Quibus reſpondemus,primùm quidem nihil prohibere,quo minus pro arbitrio rem quanque in ſubiecto coniungamus. Deinde verò noſtro ordine priora eſſe concreta ea, quæ definie̅do aperiu̅tur. Quocirca vt ea non temerè co̅nexuerit,ob eam fortaſſe cauſſam reſolutione̅ prætermiſit,quòd eade̅ ſubiecto cu̅ compoſitione eſſet,& ſola,vt dixi,affectione ab ea diſcreparet.

VTILIS HARVM rerum conſyderatio ſit] Id eſt, harum rerum cognitio:cognitione̅ enim Philoſophi conſyderationem appellant.

COMPENDIOSAM tibi traditionem faciens, tentabo breuiter velut introductionis modo] Quia breuis alia & circunciſa eſt explicatio,quæ commemorationis gratia per capita rerum fieri ſolet,idcirco breuem velut introductionis modo adiecit.

ME AB ALTIORIBVS quidem quæſtionibus continens]. Tria ſunt quæ adoleſce̅tum animos à veterum libris reiiciunt,operis prolixitas:dictionis obſcuritas, vt in libro de interpretatione:& quæſtionum altitudo. Porphyrius igitur auditorem cohortatur,& libellum hu̅c nihil eorum continere ait. Nam neque prolixum eſſe,neque difficultatem in eo ineſſe elocutionis (quod declarat,cùm ait,introductionis modo)neque quæſtionum obſcuritatem. Sed cùm inquit[ab obſcurioribus me continens quæſtionibus],prætermiſſam eſſe ſententiarum difficultatem indicat. Cùm verò dicit,Simpliciores verò,exponi eas quæſtiones oſtendit quæ ad ſenſum popularem accommodantur,quæq́ue explicatu ſunt faciliores:atq; ita libru̅ hunc orationis obſcuritate vacare.

στοχαζόμενος. uoce̅ nullam Latini habent, quæ ide̅ efficiat: nam coniectans, quod ſolu̅ afferri poteſt, in hoc genere in noſtram conſuetudine̅ non cadit.

SIMPLICIORES VERO mediocriter coniectans]. Hoc non ad rem ipſam retulit. non eſt enim Philoſophi coniectare,ſed certa ſcientia vniuerſa demo̅ſtrare:veru̅ ad Chryſaorium auditorem. ac ſi diceret, hęc ipſe tractabo no̅ tra̅ſgreſſurus limites inſtituti iſagogici pro captu tuo Chryſaori. Nam quæ tradere Porphyrius inſtituit,non coniecturis,ſed certa cognitione exponit.

NVNC de generibus & ſpeciebus] Promiſerat Porphyrius ſe circu̅ciſa oratione vſuru̅, ac obſcuriores

ſcuriores prætermiſſurũ quæſtiones,apertamq́ue & enucleatam dictionẽ futuram.Ne quis igitur vllã in his hæſiſſe obſcuritatem neget,id verò in hiſce efficere conatur,vt fuiſſe in his quæſtiones quidẽ obſcuras intelligatur,ſed eas cõſultò Porphyriũ omiſiſſe . Quod quò facilius perſpici queat,dicamus hoc modo,Eorũ quæ ſunt,partim cohærẽt ipſa per ſeſe,partim in ſolis animis ſunt: & eorũ porrò quę per ſe cõſtant,partim corpora ſunt,partim corporis expertia.Itemq́ue eorum quæ corpore carent,partim auulſa ſunt & diſtracta ab iis quæ ſubiecta ſunt ſenſibus, vt animus ratione inſtructus & angelus:partim in iis ipſis hærent ac nituntur, vt candor, atror,atque animæ ratione vacantes.Eorũ autẽ quæ per ſe conſtant,alia ante multa,alia in animo noſtro ſunt poſteriora. Rerum itaque aliæ in rerũ cadunt naturam , alię puris ſolũ intelligentiis contentæ eſſe dicuntur:quo in genere ſunt quæ ſi intelligãtur,cohærent:ſi verò intellectu non capiantur per ſe ipſæ cõſtare nõ poſſunt:ſed cùm finita earũ intelligentia eſt,tum demũ ipſæ quoque eſſe deſinunt, vt Hippocẽtaurus.non enim in rerũ eſt natura.Sed cũ equum atque centaurum intuemur, concretũ quiddam animo effingimus,Hippocentaurũ.Eodemq; modo hircũ natura protulit ac ceruũ: nos verò cõpoſitum animo quoddã hircoceruũ ſtruimus,atque id eo quidẽ modo conſtare dicitur.Itaque Antiſthenes genera & formas in nudis intellectibus poſitas eſſe volebat.Equũ,inquiẽs video, equinitatem non video:hominẽ video,non humanitatem.Hæc ille inquibat, vitam ex ſolo ſenſuũ impetu agẽs,quiq́ue nulla ſe ratione poterat ad ſublimiorũ inuentionẽ attollere.Eorũ ergo quæ ſunt,quędam ſunt corpora,quædã corporis expertia.Atque hæc in vniuerſum quidẽ veteres nonnulli conſtare dicebant,alij nulla eſſe.Porrò qui cohærere ea volebant,alij corpora eſſe, alij carere corpore affirmabãt.Ac qui corpora ea fecerunt,in eadẽ omnes opinione fuerunt. Qui verò ea ſine corporibus intulerunt(quia eorũ quæ vacãt corpore,vt dixi,partim per ſe ipſa cohærẽt,vt angelus,deus: partim in aliis ſunt poſita vt candor,& figuræ) quidã auulſa à cæteris per ſe cõſtare, alij in iis quę ſunt ſubiecta ſenſibus ea ſita eſſe dixerũt.Prætereà quia quæ ſunt in ipſis poſita ſenſilibus corporis expertia,aut penitus in iis inſunt,vt in ceruſſa candor:aut ſola eorũ extremitate cõtinentur,vt orbis figura:alij in re tota,alij ea in ſola niti extremitate: atque alij demũ in iis quæ ipſa conſtãt cohærere ea cõtenderunt.verũ quænã ſunt ea,quę in iis quæ in rerũ natura conſtant nitũtur?vt locus (nã is quæ ſenſus mouent cõplectitur & cõtinet) & tẽpus.Cũ igitur tã multa de horum ſtatu pronuncientur,quæri de generibus ac formis potuit,cohæreántne ipſa per ſeſe,an in ſolis animis ſint: in ea enim hominũ hæreſi Antiſthenes fuit.Cumq́ue conſtare ipſa ſua vi deprehẽſum eſſet,potuit itidẽ ambigi vtrũ corpora ſint , ánne corporis expertia:ſi quidẽ vtraq; pars ſuos habuit aſſertores. Itemq́ue ſi fortè ea corpora eſſe cõpertum eſſet,nũ auulſa ſint & abſtracta ab iis quæ ſubiecta ſunt ſenſibus,an iis ipſis hæreant ac nitantur,potuit indagari. Quod quò facilius perſpiciatur , rem de qua ambigitur exẽplo explicemus.Neque enim temerè & ſine ratione factũ videtur, vt alij corpora ea eſſe dixerint,alij corporis expertia:ſed cauſſa eos quæpiã impulit:nec iccirco cõtrarij inter ſe ſunt,ſed eorũ omnium ſententiæ iuſta ratione ac virili nituntur.Intelligatur ergo anulus aliquis, in quo impreſſa ſit atque inſculpta Achillis effigies,ac multæ quoque ad ſint cereæ tabulæ,eæque anulo cõprimantur:tumq́ue accedat quiſpiã qui eas intueatur,cumq́ue omnes eiuſdem anuli impreſſione informatas viderit,earum imagines intelligentia & ratione comprehendat.Sigillum igitur anuli ante multa eſſe dicitur. Quæ verò in tabellis ſunt efficta ſimulachra,in multis:quod autem eius mente qui ea inſpexerat continetur,à multis,atque poſterius appellatur.Hæc ergo in genera ac formas inflectantur.Siquidem mundi artifex molitorq́ue deus,rerũ omnium apud ſe exẽpla habet.Veluti cũ eſt hominem procreaturus,ſpeciem humanitatis conſequitur, ad quã intuens in eãq́ue defixus, vniuerſos homines creat.Quod ſi quis inſurgat,negetq́ue eſſe in huius mũdi ædificatore deo rerũ omnium exẽpla,hæc audiat,Rei cuiuſque fabricator,aut quę efficit intelligit, aut ea planè ignorat:ac ſi ea quidẽ ignorat, vt ea fabricetur,fieri nõ poteſt:nã quis eſt qui rem aliquã efficere moliatur,& quid ea ſit neſciat?nõ enim,vt natura res rationis experte facultate is adiutus gignit.Atqui ſi vniuerſa ratione quadã extruit,quid ſit id quod ædificat intelligit . Quocirca cùm deus res q̃ homines nõ fabricetur deterius,quid ſit id quod efficit nouit.Ex quo facile perſpici atq; intelligi poteſt, inſitas eſſe in deo huius vniuerſitatis ædificatore rerum omniũ ſpecies atque exẽpla.In eo autẽ eiuſmodi rerũ ineſt exẽplar,qualis eſt inuſta anulo effigies.Diciturq; ſpecies ea ante multa,poteſtq́ue à materia ſeparari.Atq; etiã forma hominis in ſingulis hęret hoĩbus, quẽadmodũ q̃ cerę ſũt impreſſa ſimulacra:dicũturq; hęc in multis eſſe,nec poſſe à materia ſecerni. At verò cũ ſingulos homines intuemur,atq; eos eadẽ ſpecie cõtineri animaduertimus,vt qui poſterius acceſſit,& tabellas cereas eſt contẽplatus:ſic intelligẽtia & ratione id comprehẽdimus, atque id à multis appellatur.Poſſunt autẽ hæc à corporibus ſeiungi:non enim in iis,ſed in animò nituntur:aliàs abſtrahi nõ poſſunt.Neq; enim per ſe ſecerni illa poſſunt, cuiuſmodi Plato tradit ea eſſe, quę ante multa ſunt.Nõ enim voluit eius modò qui aliquod munus efficere molitur notiones eſſe,

Antiſthenis de rerũ ſtatu opinio.

Fuiſſe de his quæſtiones obſcuriores, ſed eas couſultò omiſiſſe Porphyrium.

verùm etiã naturas quaſdam ſtatuit,quæ intelligẽtia & ratione cõprẹhendantur. quas cùm artifex intueretur,atque ſibi eas proponeret exẽplaria,huius inferioris vniuerſas mundi res efficeret. hæc ergo an corporis ſint expertia,& à materia poſſint ſeuocari,vt quæ in ipſo mundi fabricatore inſunt:an nõ poſſint,vt quę ſunt in multis poſita,vel q̃ ſunt ſenſus mouẽtia,id eſt, quę ſunt à multis, hæc,inquit prætermittã omnia.In iis tamen rebus Platonẽ atque Ariſt.diſſentire intelligendũ eſt. Nã Ariſtoteles à materia ſeparari ea nõ poſſe tradit,Plato autẽ ab ea ſemoueri poſſe exiſtimat.Cęterũ docere,repugnent necne ea de re inter ſe Philoſophi, non eſt huius diſputationis & tẽporis.

ILLVD VERO quẽadmodum] Pollicitus erat Philoſophus libellũ hunc vtilem fore ad Ariſtotelis Categorias, quæ viæ quædã ſunt ac velut præludia ad omnes omniũ Philoſophorum de oratione diſputationes inſtitutas.Orationis autẽ multa ſunt genera:enunciatiuum,optatiuum,vocatiuum,imperatiuũ:& interrogatiuum,& alia multa,ſi quis rem ſubtiliter & accurate perpendat. Cæterum in diſſerendi rationẽ enunciatio ſola cadere poteſt:nã ea mẽtis cognitione inſtructæ eſt interpres : aliæ ad eã potius animi partẽ pertinẽt,cui eſt appetitionis vis inſita.Nam qui optat,rei cuiuſpiã ſtudio & cupiditate adductus optat.Et qui alium vocat,aliquid cupiens vocat:eodemq́ue modo qui quempiam alloquitur . In effatum autem ſolum verum ac falſum venit . Nam alia, neque verum neque falſum enunciant . Pronunciatum autem aut verum aut falſum notat . Nam de animo mortalem eum aut immortalem eſſe aſtruit:tumq́ue aut verum aut falſum dicit. Enunciatum enim eſt id,quod aliquid in alio ineſſe aut non ineſſe declarat. Nam duo quædam id cõplectitur & continet,prædicatũ,& ſubiectũ.Sed vt id intelligatur facilius,dicamus hoc modo, Scire eſt operæpreciũ ſubiectum id nũcupari de quo ſermo habetur:Prædicatũ autem, quod de eo dicitur, vt,homo eſt animal.Subiicitur enim homo,atque animal prædicatur. Eodemq́ue modo, ſi dicam immortalẽ animum eſſe,de quo verba facio?Nẽpè de animo.ac animus quidẽ ſubiicitur, Immortale autem de eo dicitur.Quocirca enunciatũ ſubiectum habere & prædicatũ præclarè diximus. Iam de generibus & formis aptè ad naturæ diuinæ potuit explicationẽ diſſeri, vt cùm quærimus habeàtne deus generum ac formarũ impreſſionem atq; ſimulacrhũ,an non habeat. aut vtrum vera ſit Platonis opinio,eſſe ſpecies quaſdã,quę intelligentia & ratione cõprehendantur,quęq́ue per ſe ſeparatæ à materia cohæreant,quas & primas & veras eſſentias vocat:an non , quod Ariſtoteles credidit.Ad naturæ autẽ cognitionem accommodatè de his ambigimus , vt cùm ſpectamus generúmne ac formarum in ſe natura habeat rationes,an nõ habeat.Nõ enim natura ita affecta eſt, atque nix,quæ citra rationem refrigerat,aut ignis vrit:ſed ratione quadam omnia:quãquam quæ efficere moliatur ignorat,facit.Præterea hoc etiã modo de his naturaliter quæri poteſt.vtrũ hęc ſint in multis,vt vniuerſum animal in ſingulis animãtibus omnibus,ac vniuerſus homo,an nõ . Et ſitne cõmunis quępiam natura,quæ in rebus ſingulis ſpectetur,an ne quidquid in rebus verſatur ſingulis indiuiduum ſit.Quinetiã de his licet aptè ad diſſerendi rationem exquiri:vt, quæ horũ ſub quibus ſubiecta ſint,& quæ de quibus enuncientur.Quia genera de formis & diſtinctionibus dicuntur,non autẽ vice verſa.Diximus enim diſpoſitionẽ quandã inter ſe retinere , genus,differentiam,ſpeciẽ:ac præponi quidem genus,differentiã ſequi,tertioque in loco ſpeciẽ collocari:& è ſuperioribus inferiora enunciari:nõ enim quę inferiora ſunt,in iis quę ſunt ſupra ſe poſita dici poſſunt. Vt ſi dixerimus,omnis homo eſt animal verũ dicemus:ſi verò retroacto ordine,omne animal eſt homo,falſum.Itemque ſi dixerimus,omnis equus eſt rationis expers, verè id quidem dicimus: ſi è conuerſo,omne rationis expers eſt equus,falſum ſumus prolocuti.Nam in ſubiecti locũ quidlibet non licet ſubſtituere,dicere enim non poſſumus animal homo eſt,vt antè dixi . Quare primũ conſideremus oportet , quæ ſubiecta ac viciſſim quæ prædicata facienda ſint , quod Philoſophus quoque exponit,atque iccirco rationabilius dixit,id eſt,aptius ad rationem diſſerendi.

Orationis genera.

QVEMADMODVM rationabiliùs] Rationabilius diſſerere dicuntur , qui rerum accidentia perſequuntur:nâturaliter,qui rerum naturas & eſſentias perueſtigant,theologicè, qui vnde fluxerint omnia,& à quo ortus principatu manarint inquirunt.Quia igitur de generibus & formis,ac reliquis eiuſdẽ generis naturaliter,vt dixi,poſſumus diſceptare:vt cùm de iis quæ in ſenſilibus poſita ſunt quærimus:quẽadmodum de iis Ariſt.diſputauit.Atque theologicè,cũ quæ in ſummo artifice ſũt ſpectamus:vt de his Plato in Parmenide diſſerit,de eiſdẽ rationabilius ambigi etiã poteſt, quandoquidẽ in diſputatione omni quæ eſt de diſſerẽdi ratione inſtituta,effata deſideramus: in effatis autẽ ſubiecta quædã ſunt,& quædã prædicata:quod autẽ aut prædicatur aut ſubiicitur, vel genus eſt,vel differẽtia,vel propriũ,vel accidẽs.Cùm verò ait,de his,genera& ſpecies intelligit:nã cõtinuò de hiſce diſſerit:Porrò cum adiicit,& de propoſitis, reliqua tria denotat, ſpeciem dico, proprium,& accidens.Aut etiã ordine retroacto dicendum eſt,eum cùm ait, & quo modo de his genus,ſpeciẽ & differentiam deſignaſſe: cùm verò, de propoſitis,reliqua duo proprium & accidens.

ET horũ maximè Peripatetici]Porphyrius non in ſe harũ rerum doctrinã inuentionẽque trãſfert:

fert:sed ait quæ à veteribus ad fidem, hominumq́ue sensus,accommodatè sunt disputata, ea à Peripateticis accuratissimè explicata fuisse,qui in ea laude principes semper extiterũt. Porrò autem Peripateticorum hinc manauit appellatio. Platonem, cùm in Academia cum sibi necessariis congrederetur,deambulare solitum ferunt:vt corpus exercitatione ad ingenij splendorem excoleret: nam ab instrumenti ratione, varia artificis exoritur actio: atque idcirco Peripatetici vocati sunt. Extincto ergo Platone,eius scholam Aristoteles atque Xenocrates exceperũt: Aristoteles quidem in Lyceo,Xenocrates verò in Academia. Itaque qui Aristoteli adhærescebant, Peripatetici è Lyceo nuncupabantur:qui Xenocrati,ex Academia. Quocirca paulò pòst Aristotelis discipuli extincta à loco appellatione,ex actione nomẽ inuenerũt:Xenocratis autem auditores actionis amissa ac labefactata nuncupatione,Academici sunt vocati. Quoniam igitur Philosophus Platonis scriptis, præsertim cùm ipse sit Platonicus,inhæsurus erat, & libellum ad Categorias Aristotelis instituerat conscribere:quo pacto,inquit,de illis cùm veteres omnes,tum vel maximè Aristotelici probabiliter disseruerint,quidque senserint,docebo. Prima autem sunt decem genera,Substãtia, quantitas,qualitas,& cætera. Inter quæ essentia sua vi cohæret,reliqua quædã sunt consecutiones. Descriptio ergo generi attributa est,quæ reliquis etiam decem conueniet. Nec est quamobrem quæramus,quonã pacto essentiæ,atque accidẽtibus cõgruat,quæ vi atque natura inter se diuersa sunt. Quod enim ad substantiam accidit,id est,quod vt genus in formas sibi subiectas diducitur, id ipsum aliis quoque cõpetit. Nam & alia in subiectas sub se formas,vt genera,diuidũtur. Aliud ergo est hęc vt naturã atque accidentia consyderare,ac aliud vt prima genera:hoc enim cõmune habẽt.

Huius meminit Diogenes Laertius, & Ammonius in initio Categoriarum, in uita Aristot.

BOETIVS.

CVM sit necessarium]. Necessariũ etsi variis modis sumatur,tamen sumitur pro vtili. Necessitas enim per se cõsideratur,vtilitas ad aliud refertur. Est igitur cognitio harũ quinq; vocũ ad quatuor vtilis,videlicet ad prędicamẽta cognoscẽda. Nã prędicamẽta generibus,speciebus,differẽtiis propriis, & accidẽtibus constãt. igitur vt prædicamẽta cognoscamus, vtile erit prius cognoscere quinque voces. Deinde vtilis est hæc cognitio ad naturas definitionũ dignoscendas. Nã definitio generibus & differẽtiis siue substãtialibus siue accidẽtariis absoluitur. Tertio vtilis est ad diuisiones. Nam diuisio omnis vel est generis in species,aut in differentias,aut in propria vel est subiecti in accidẽtia, vel accidẽtis in subiecta. Postremò vtilis est hæc cognitio ad demonstrationes, quoniam principia demonstrationum sunt definitiones & propria. Atqui ostẽsum est hanc cognitionem vtilem esse ad definitiones. igitur vtilis erit ad demonstrationes.

TENTABO breuiter aperire]. Neq; enĩ esset cõpẽdiosa,nisi totũ opus breuitate cõstringeret.

MOX de generibus]. Sũt quęstiones quas sese reticere inquit,& perutiles & secretę & tentatę quidẽ à doctis viris,nec à pluribus dissolutæ,quarũ prima est huiusmodi. Cũ omnis intellectus sit de re existẽte,vel de re ficta,erítne cõceptio generis & speciei,rei existentis vel fictæ? Respondendũ genera & species esse rerũ existentium. Secunda quæstio hæc est. Omne quod est,aut est corporeũ aut incorporeũ,atqui patet genera & species in rerũ ratiõe substare,quare dubitatur an corporea an incorporea sint? Respõdendũ est,quædam genera,& quasdã species incorporeas esse,vt quæ significãt res incorporeas,vt sunt angeli,spiritus:alia corporea quæ designãt res corporeas,vt corpus,animal,& similia. deinde respondendũ, omnia vniuersalia incorporea esse, vt in abstractione vniuersali existũt: etsi quędã præter corporea esse nõ possunt. Nõ enim omnis qui ex subiectis rebus capitur intellectus,aliter q̃ sese res ipsæ habẽt,falsus esse putãdus est,sed ille qui hoc in cõpositione facit, falsus est: vt cum hominẽ atq; equũ iungens putat esse centaurum. Tertia quęstio. An vniuersalia postquã sunt incorporea,subsistũt in rebus singularibus,vel sunt separata? Respondendũ est vniuersalia in singularibus subsistere intelligi præter sensibilia,vt eorum natura perspici,& proprietas valeat cõprehendi. Quocirca cum genera & species cogitantur,tũc ex singulis ex quibus sunt,eorũ similitudo colligitur,vt ex singulis hominibus inter se dissimilibus,humanitatis similitudo colligitur: cogitata animo veraciterque perfecta,fit species. Itaque sunt in singularibus: cogitãtur verò vniuersalia. Probabiliter] id est verisimiliter: quod græci λογικῶς,vel probabiliter,id est non præter opinionẽ ingredientium atque lectorũ,quod introductionis est proprium.

CVM sit necessarium]. Necessariũ variis modis apud Aristo. in quinto Metaphysices capitur, * vult tamen Porphyrius cognitionem quinque vocum simpliciter esse necessariam ad cognoscenda ea quæ traduntur ab Aristotele in prædicamentis(his enim vocibus frequenetr vsus est Philosophus in suis Categoriis) non tamen ex sua introductione,multi nanque Philosophi antequam Porphyrius hũc libellũ conscripsisset prædicamenta nouerũt,adiuti his quæ in topicis sunt.

NOSSE quid sit genus]. Quæstio circa intentionẽ Porphyrij nascitur,cur non asserat se dicturũ de priuationibus,de æquiuocis, cõplexis & multis aliis,citra quorũ notitiã Chrysaorius nõ potest percipere doctrinam prædicamentorum. ad quam respondendum est, Porphyriũ illa omisisse quia satis essent explicata in prædicamentis.

Differētia præponitur speciei ordine naturę, quam in tractatione vocū postponit Porphyrius.

ET AD DEFINITIONVM] Ad definitiones proprias & diuisiones, id est ad cognoscenda præcepta quæ solent de definitionibus & diuisionibus propriis tradi: nō solum generis, speciei & differentię cognitio est necessaria: sed & proprij & accidentis, non illis vt vtamur, at fugiamus. nam omnis propria diuisio fit generis in species per differentias, & omnis definitio genere & differentiis absoluitur.

VEL DE DEMONSTRATIONE]. Demonstratio est syllogismus faciēs scire, id est quo scientia gignitur, qui non ex quibuslibet componitur, sed ex necessariis duntaxat: in quo cum ponatur species proprium & definitio, quę constat ex genere & differentia (accidētia siquidem semper excluduntur) erit necessaria quinque vocum cognitio ad cognoscendas leges demonstrationum quæ traduntur ab Arist. in posterioribus analyticis.

Tria sunt quę adolescentes deterrent, obscuritas, operis prolixitas, & difficultas: à quibus lōge abesse hunc libellum fatetur Porphyrius.

ALTIORIBVS QVIDEM]. Quæstionum tria sunt genera, quędam logicos limites transeunt & metaphysicos. quædā infra munus dialectici sunt, nec respōsione egent, aut quia omnibus sūt manifestę, aut quod discussę, nullā prorsus adferant vtilitatem, vt Sophisticę. alię mediæ nec omnibus manifestæ nec occultæ quæque adferunt vtilitatem. de quibus in logica dicendum est.

Vt Chrysaorius intelligat de quinque vocibus arduas & difficillimas quęstiones posse proponi, tres obiter in medium adfert: quarum prima, vtrum genera species & reliqua vniuersalia, existant in rerum natura & extra intellectum, an potius in solis & nudis intellectibus posita sint. Secunda postquam existunt in rerum natura, an sint corporea an incorporea. Tertia, si sint res incorporeæ, an separatæ à rebus sensibilibus? an potius rebus singulis immersæ? Plato respōderet vniuersalia quæ ideæ dicuntur omnino separata esse. Sunt enim ideæ secundum Platonem substantiæ incorporeæ à singulis rebus separatæ, tenentes ordinem tertium inter substantias abstractas. In quarum primo ordine deum deorum statuebat, in secundo deos secundos quos vocamus angelos, in tertio ideas à quibus res singulæ sensibiles existunt. Peripatetici dicerent vniuersalia in rebus singularibus secundum subsistentiā sparsa esse, potestate verò per quasdam notiones separari & in intellectu consistere, tanquam cognitum in cognoscente subsistit, non tanquam forma aut accidens in subiecto. Vniuersalia actu sunt formæ singularium, ab his tamen abstracta, quatenus significant per nomen totius.

Quæstiones de generibus & speciebus potius q̄ de aliis tribus proponuntur, quoniā genera & species quæ prædicantur in quid (quod est propriū substātię) magis videntur subsistere quàm differentiæ, propria & accidentia.

Etsi nonnulli per nudos intellectus exponant puros cuiusmodi est mens diuina, in qua etiam Plato ideas ponebat, ad quas intuēs omnia crearet. Illa tamē in nudis intellectibus esse dicūtur, quę ita nostro animo fixa sunt, vt illis nihil respondeat in rerū natura existēs, vt chimęra, hircoceruus.

DICERE recusabo]. Contentus est eas enumerasse, vt intelligas de quinque vocibus difficillimas quæstiones posse moueri.

MAIORIS inquisitionis, id est, primæ Philosophię. nam omnia suo loco sunt tractanda & examinanda. Peripatetici dicti sunt, quoniam gymnasiū erat in quo docebant, id est locus aptus ab deambulandum, & ad corpus exercendum. Hac de re vide Ammonium.

Variis de caussis Arist. se imitaturum pollicetur, prima ob diuisionem & ordinem scientiarum quæ frequenter confunduntur à Platone. secunda ob modum procedendi, incipit enim Arist. semper à notioribus, Plato nonnunquam ab ignotioribus. Tertia, nihil sine ratione adstruit Aristot. multā verò supponūtur à Platone. quarta, Aristoteles omnia breuiter complectitur. Plato pluribus verbis pauca comprehendit. Ob has etiam caussas artium pręceptores Aristoteli adhærent.

DE GENERE.

Videtur autem neque genus, neque species simpliciter dici. Genus enim dicitur & aliquorum quodammodo se habentium ad vnum aliquid, & ad se inuicem collectio. Secūdum quam significationem, Heraclidarum dicitur genus ab vnius scilicet affectione (Herculis puta) & multitudinis habentium aliquomodo adinuicem eam, quæ ab illo est congnationem, secundum diuisionem ab aliis generibus dictam. Dicitur autem & aliter rursus genus, quod est vniuscuiusque generationis principium, vel ab eo qui genuit, vel ab eo loco in quo quis genitus est. Sic enim Orestem quidem

dicimus

dicimus à Tantalo habere genus: Hylum autem ab Hercule: & rurſus, Pindarum quidem Thebanũ eſſe genere, Platonẽ verò Athenienſem. Etenim patria principiũ quoddam eſt vniuſcuiuſque ortus, quemadmodũ & pater. Hęc autẽ videtur prōptiſſima eſſe ſignificatio. Heraclidę enim ſunt qui à genere deſcẽdunt Herculis, & Cecropidæ qui à Cecrope, & horũ proximi. Et prius quidem appellatũ eſt genus, vniuſcuiuſq; generationis principiũ: dehinc etiã & multitudo eorum qui ſunt ab vno principio, vt ab Hercule. quam definiẽtes, & ab aliis ſeparãtes, dicebamus omnem illam collectionem quæ ab, Hercule fluxiſſet, Heraclidarũ eſſe genus. Aliter autẽ rurſus genus dicitur, cui ſubiicitur ſpecies, ad horum fortaſſè ſimilitudinẽ quę à nobis dicta ſunt. Etenim principiũ quoddam eſt huiuſmodi genus, eorũ quæ ſub ipſo ſunt, ac videtur multitudinẽ cõtinere: quę ſubiecta ſub eo eſt.

Cùm igitur genus trifariàm dicatur, de tertio apud philoſophos ſermo eſt: idque hoc modo deſcribunt, Genus eſt, quod de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur, vt animal. Eorũ enim quæ prędicantur, alia quidem de vno dicuntur ſolo, ſicut indiuidua, vt Socrates, & hic, & hoc. alia verò de pluribus, quemadmodum genera, & ſpecies, & differentiæ, & propria, & quæ communiter, non autem propriè alicui accidunt. Eſt autem genus quidem, vt animal: ſpecies verò, vt homo, differẽtia autem, vt rationale: proprium, vt riſibile: accidens, vt album, nigrum, ſedere. Ab iis verò quæ de vno ſolo prædicantur, differunt genera: eò quòd hęc de pluribus prædicantur. Ab iis autem quæ de pluribus: à ſpeciebus quidem, quoniam ſpecies etſi de pluribus prædicatur, non tamen de differentibus ſpecie, ſed numero. Homo enim cùm ſit ſpecies, de Socrate & Platone prædicatur, qui non ſpecie differunt, ſed numero: animal verò cùm ſit genus, de homine, & equo, & boue prædicatur, qui à ſe inuicem, nõ numero ſolùm, verumetiam ſpecie differunt. Rurſum verò à proprio differt genus, quoniam proprium quidem de vna ſola ſpecie, cuius eſt proprium prædicatur, & de iis, quæ ſub ipſa ſpecie ſunt, indiuiduis. quemadmodum riſibile de homine ſolo, & de particularibus hominibus. Genus autem non de vna ſpecie predicatur, ſed de pluribus, & iis differentibus. A differentia verò, & ab iis quæ communiter ſunt accidentia, differt genus: quoniam etſi de pluribus, & iis differentibus ſpecie prædicantur differentię, & communiter accidentia: non tamen in eo quod quid eſt prædicantur: ſed in eo quod quale quid eſt. Si rogemur enim, quid illud eſt de quo hęc prędicantur, genus reſpondebimus: differentias autem & accidentia non reſpondebimus. non enim in eo quod quid eſt prædicantur de ſubiecto, ſed potiùs in eo quod quale quid eſt. interroganti enim quale quid eſt homo, dicimus quoniam rationale: & in eo quod quale quid eſt coruus, dicimus eum eſſe nigrum. Eſt autem rationale quidem, differentia: nigrum verò, accidens. Quando autem, quid eſt homo fuerimus interrogati, animal reſpondebimus: eſt autem hominis genus, animal. Quare quòd de pluribus prędicetur genus, eo ab iis diuiditur, quæ de vno ſolo & indiuiduis prædicantur: de differẽtibus

verò

verò specie ipsum ab iis separat, quæ vt species prædicantur, vel vt propria. Quòd autem in quod quid est prædicetur, eo diuiditur genus à differentiis, & communiter accidentibus, quæ non in eo quod quid est, sed in eo quod quale quid est, vel quomodo se habet vnumquodque, prædicantur de iis de quibus prædicantur. Nihil igitur superfluum, neque minus continet generis dicta descriptio notionis.

Postquam Porphyrius operis institutum atque vtilitatem explicauit, ac pręceptionis modum aperuit, futurum nempè vt prætermissis obscurioribus quæstionibus, eas interim tractet, quæ ad sensum popularem accommodantur, & vbi quæ essent obscuriores quæstiones, quæque explicatu paulò faciliores exposuit: deinceps ad singulorum explicationem accedit. Primumque de genere disserit,, quia ordinem id primum, in iis quæ hactenus commemorauimus, obtinet: ac quia species multas continet atque complectitur. Prius autem genus est formis, quia in eo caussæ inest ratio, quanquam in iis quæ cum aliquo conferuntur sit genus atq; species. Sunt enim in eo genere quædam, quæ in caussis atque antiquioribus dicũtur: veluti, patrem filio, quia homines sunt, priorem antiquioremque dicere sumus soliti: etsi simul intelligantur, seque mutuò constituant ea quæ in iis sunt quæ cum aliquo comparantur, quoad sunt in eo genere posita. Nam quæ in iis sunt quæ cum aliquo conferuntur, naturas prius quasdam extitisse necesse est. Cùm igitur primam eorum quæ sunt affecta ad aliquid caussam spectamus, quamcunque demum priorem temporum vel naturæ ordine esse compererimus, eam caussa antiquiorem dicimus. Itaque in patre ac filio, antiquior est temporum serie pater, quia homo est: qui ipse essentia est, quæ filij naturam explet atque cõstituit. Atque idcirco patrem filio antiquiorem esse dicimus, quanquam hi mutuò sese respiciant. At verò qui principatu & potestate valet, iis quibus præsit, & præceptor discipulo, caussa sola, non etiam temporum ordine prior & antiquior appellatur: plerunque enim vt quia homines sunt, posteriores essent, vsu veniret: princeps & subditi, pręceptor ac discipulus. Quod idem in genere & forma contingit. Nam genus & species in iis sunt, quæ cum aliquo cõferuntur: ea verò quæ sunt eius generis, essentias prius fuisse necesse est. Atqui genus essentia non temporum sed naturæ ordine est prius, atque speciei naturam constituit. Nam genus in species secatur, id autem omne in quod cadit diuisio, & naturæ ordine prius iis est in quę discerpitur, & eorum explet atque efficit essentiã. Quocirca si substantia genus est specie prius, ea verò quæ substãtia in iis quę cum aliquo cõparantur priora sunt, caussa quoque priora sunt. forma igitur genus est antiquius: idque adeò iure reliquis omnibus anteponit. Atq; hoc quidem ordine in rerũ productione natura vtitur. Nam semini vitæ primùm, deinde animationis facultatem inserit, tumque progressa vlterius, ac sentiendi facultatem suppeditans, animal efficit. deinceps ira & cupiditate adiecta animans rationis expers gignit, postremò addita perfecta & suis omnibus numeris absoluta ratione, hominem procreat. Quamobrem genera formis, quia essentia sunt, priora ex stũt: quatenus verò genera ac formę eadem ratione simul temporis & cohærent, & tolluntur. Nam genus & species mutuæ sunt eorum affectionis nomina. Sed hoc loco quæstio quædam existit, quare cùm genus explicet, formæ, non autem differẽtiæ reliquorúmue meminerit. Dicimus ergo genus atque speciem in relatorum numero haberi, vt antè docuimus. Siquidem species generis est species, vicissimq; genus speciei genus: ideoq; iure speciei simul cum genere meminit. In iis enim quæ in numerũ eorũ veniunt, quę cum aliquo conferuntur, qui alterũ tradit, quia eius est generis, alterum quoq; exponat necesse est. Aristotelica porrò regula hoc loco Porphyrius vtitur, quæ ad hunc se modum habet: Necesse est, vt qui vocem ambiguam velit explicare, id est, cuius nomine multa contineantur, primùm varias eius significationes excutiat, ac quam sit significationem vsurpaturus, doceat. siquidem vocabulorum ambiguitas magnum persæpè errorem atque obscuritatem solet parere: cùm qui docet alia ratione vocem hanc designet, & qui docetur alia percipiat: veluti, si quis de cane cælesti disputaturus dicat, canis ardentes calores inuehit: aut fructus perficit, nec prius explicet de quo cane loquatur, auditorem in errorem impellet. Oportet igitur eum prius canis significationes percensere (nam canis alius est cælestis, alius terrenus, alius marinus) ac mox de cane cælesti se verba facturum docere: à quo non recedens Porphyrius, generis significata enumerat, ac de quo demum agat ostendit. Porrò [videtur] non vt hæsitans dicit, sed pro, constat. Ἁπλῶς autem, id est, simpliciter quatuor dicitur modis. Namq; in vniuersum notat, ac quemadmodum oratores loquũtur, ἁπλῶς εἰπεῖν, id est, vt summatim complectar: & propriè, vt cùm Aristoteles ait, ἡ ἁπλῶς γένησις, id est, proprius ortus. Itemque temerè & sine ratione, vt ἁπλῶς αὐτὸν τύπτει, id est, insontem eum pulsat; ac prætereà vnicum minimeque perplexum, vt cùm inquimus,

Quomodo genus sit prius formis.

Quod modis simpliciter dicatur.

Ἁπλοῦς

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.
Nam veritatis ſueuit eſſe oratio
Simplex, vafris nec egens ambagibus.

Senarius ex Euripidis Phœnißis, de quo Diogenianus in collectaneis.

quo poſtremo ſignificato hoc tempore vtitur. Dicit enim conſtare ſpeciem & genus, itemque cętera eiuſdem generis non vno dici ſolere modo.

GENVS ENIM dicitur & aliquorum] Primum generis ſignificatum exponit, in eoque affectiones duas ſumit: multitudinis ad multitudinem ſcilicet, & multitudinis ad vnum: vt Heraclidarum ad Herculem, qua ratione ab eo genus ducere dicũtur: atque horum ad ſe inuicem, qua inter ſe quodammodo affecti ſunt, & cognatione quadam coniunguntur, eoq; modo aui inter ſe, aut ex ſorore vel fratre filij vocantur, aut quoquomodo aliter inter ſe conferuntur. [Quodammodo] autem, ſcitè adiecit. ſiquidem quæ ſub eodem genere continentur, relationem habent aliam atque aliam. Nam alij aliorum aui ſunt, vel liberi, vel fratres, vel aliud eorum aliquid quæ genus id complent & efficiunt.

SECVNDVM quam ſignificationem Heraclidarum dicitur genus] Nam quò ab aliis ſeparetur atq; ſeiungatur gentibus, vt Tantalidis & reliquis generis eiuſdem, atque ab ea quã à fonte vno (Hercule puta) Heraclidæ trahunt omnes rationem, & à multitudine nonnullorum, qui inter ſe coniuncti ſunt ſocietate ea quæ ab illo ducta eſt ſecernatur, Heraclidarum genus dici cõſueuit. qua ratione duæ iterum collationes ſumuntur, vnius ad vnum, & cauſſæ atque effecti: nempe Herculis ad Heraclidarum quempiam. Quo in genere cauſæ vim Hercules ſortitur: effecti, qui ab eo quaſi quodam capite manarunt, ſiue patria, ſiue qui in ea ortus eſt: qua ratione Platonẽ Athenienſem, Pindarũ genere Thebanum dicimus. Porrò ſcire eſt operæpreciũ affectionem quatuor dici modis: aut arte, vt præceptoris ad diſcipulũ: aut ſorte, vt domini ad ſeruũ: aut conſilio atque delectu, vt amici ad amicum: aut natura, vt patris ad filium. Eorum ergo quæ diximus à natura profecta eſt collatio, qua eadem ſignificatione à cæteris generibus ſeparantur. Intelligendum eſt autem voces ſignificantes atque vocabula, res à ſe inuicem ſolere ſecernere. Voluit enim vniuerſi parens natura, vt hoc canis ac illud equus appellaretur, quò res à rebus ſepararet, atque diſtingueret. Nam ars vnaquæquæ quaſi nouum quippiam ſit, & ab aliarum ſemotum cõſuetudine inductura ſuis inſtrumẽtis propria imponit nomina, vt ea aliqua ratione explicet. Eo enim modo Geometræ cùm multas eſſent triquetrorum diſtinctiones conſecuti: vt tria, verbi cauſſa, æqualia habens latera, aut duo duntaxat, aut tria etiam inæqualia, horum omnium appellationes extruxerunt: & triangulum quidem eum qui tria æqualia latera haberet, ἰσόπλευρον, qui duo ἰσοσκελές, qui verò inæqualia tria σκαληνόν appellauerunt: quibus nominibus quid eorum quodque eſſet voluerunt explicare. Atque hoc quidem modo vocabula rerum vim atque naturam oſtendunt.

Affectio quot modis dicatur.

HAEC AVTEM videtur promptiſſima eſſe ſignificatio] Paulò obſcurior eſt hoc loco Porphyrius, vtpote qui de prima generis ſignificatione diſputaturus id ipſum nõ indicarit: cùm certò tamen debuerit atteſtari quam hoc tempore ſignificationẽ notaret. Cæterùm de prima diſſerere eum, non autem de ea quam paulò antè tradidimus, ipſa per ſe ſatis quæ profert exempla declarãt. Nam hæc nobis quidem, inquit, eſſe videtur obuia atque ad manum præ conſuetudine poſita generis ſignificatio. Vocat autem nobis obuiam præ conſuetudine ſignificationem, aut ab vno fonte multorum, aut ad multos relationem. Sed hoc loco exiſtit quæſtio, quamobrem genus quod primo loco explicatum eſt, in procinctu eſſe, atque expeditum dicat: nõ autem poſterius, id eſt, vnius ad vnum affectionem. Cùm præſertim hoc ipſum natura prius intelligat, quæ ex vno vnum primùm gignit, atque ita demum è multis multa efficit. Dicendum itaque eſt, ſecundam generis ſignificationem, quæ nobis poſterior eſt, naturæ eſſe ordine priorem. Nam ab Hercule vnus in primis naſcitur, atque ita deinde multitudo. Quæ verò prima eſt naturæ ordine ſignificatio, nobis eſt poſterior: viciſſimque quæ naturæ eſt ordine poſterior, nobis eſt prior: atque, vt paucis abſoluam, quæcunque naturæ ordine priora ſunt, ea ſunt nobis poſteriora: & viceuerſa, quæ poſteriora ſunt naturæ ordine, nobis ſunt priora. Exempli gratia: priora naturę ordine ſunt materia atque ſpecies, deinde quatuor elementa atque initia, tum caro & oſſa, itemque cætera omnia eiuſdem generis, quæ ex partibus conſtant inter ſe ſimilibus: poſteà verò homo oritur: atque ad hunc quidem modum à ſuperioribus natura ad inferiora delabitur: nos autem, quippè qui ad inferiora nutamus, reſque intuemur abiectas atque humi proſtratas, à vicinioribus ad remotiora, & ab iis quæ ſunt luculentiori materia interſepta ad ea quæ minus in eam immerſa ſunt progredi volumus, principiò hominem intelligimus, deinde eum ex oſſibus ac carne coaleſcere, tum hæc ipſa ex quatuor conflari initiis: poſtremò initia ac elementa è materia atque ſpecie conſtare cognoſcimus. Quocirca quæ ſunt naturæ priora, ea nobis ſunt cognitione poſteriora: itemq; quæ ſunt naturæ poſteriora, nobis priora exiſtunt. Quamobrem facilior prima eſt generis ſignificatio, atque ſecunda

obſcurior:

obſcurior:ob eamq́ue cauſſam de iis Porphyrius hoc ordine iure diſſeruit.Etenim in omni diſputatione ſumendum eſt ab euolutioribus atque apertioribus initium . Prætereà quia Philoſophorũ genus,quo de nunc agitur,ſimile generibus iis eſt,quæ ſunt à nobis expoſita,& cum illis affinitate quadam coniungitur.Dubitari autem poterit,quam ob cauſſam cùm plures ſint generis ſignificationes,eas ſolùm perſecutus eſt Porphyrius : quæ hactenus à nobis traditæ ſunt . Eſſe verò alias præter eas de quibus diximus ſignificationes,hinc perſpici poteſt.Nam Plato entis genera,eſſentiam,ſimilitudinem,cõmutationem,ſtatum & motum eſſe volebat.Quæ idcirco Porphyrius prętermiſit,quòd ea modò perſequi decreuiſſet (vt initio dixit) quæ ad Ariſtotelis opinionem accedunt.Apparet autem etiam Ariſtotelem in explicatione naturæ genus pro materia,quæ arti cuiq; propoſita eſt,vſurpaſſe:vt fabrili ligna:medicinæ valetudo,& omnibus deniq; naturalibus actionibus prima materia. verùm de his aptè ad naturæ perueſtigationem diſſerere Porphyrius nõ inſtituit,ſed ad diligentem diſſerendi rationem accommodatè.

ALITER AVTEM rurſus genus dicitur, cui ſubiicitur ſpecies, ad horũ fortaſſè ſimilitudinem]. Tertiam generis ſignificationem perſequitur,de qua diſceptant Philoſophi,& cuius è ſuperioribus ducta videtur appellatio. Nam vt prima generis ſignificatio affectiones duas habebat: multorum ad vnum,& eorũ inter ſe:ſic in formis & ad genera,& inter ſeſe ineſt relatio. Præterea quemadmodum ſecundum generis ſignificatum collationes itidem vnius ad vnum,cauſſę & effecti obtinebat,ſic & hoc vnius ad vnum relationem habet, vt animalis ad hominem, & effecti ad cauſſam.Itaque primi fortaſſè illi nominum impoſitores cùm varios hominum ortus circunſcribere & quapiam vellent varietate diſtinguere , aliud Heraclidarum genus nominandum putauerunt,Aeacidarum aliud,atque aliud Pelopidarum:ad quorum imitationem Philoſophi ſua genera nuncuparunt.Nam vt Heraclidarum genus dicitur,quod ab vno principio (Hercule puta) quaſi quodam capite manauit:ſic etiam animal genus vocatur:ſiquidem ſingulorum animantiũ, vt hominis,canis,equi,cæterorumq́ue omnium generis eiuſdem : genus, vniuerſum eſſe animal perhibetur,ac multitudinem videtur cõtinere.Sæpenumerò autem Philoſophi genera quæ in vſu apud eos habentur inuenerunt,atque deinceps ad eorum morem vocabulorum authores genera ea appellarunt , quæ in communi hominum vſu , & frequenti vſurpatione ſunt poſita . Nam intelligi vtrunque poteſt. Quoniam igitur non cõſtat Philoſophí ne an primi nominum impoſitores initium huic appellationi dederint,idcirco,fortaſſè,adiecit:quaſi ea de re ipſe quoque ambigat.

CVM IGITVR genus trifariàm dicatur]. Poſtquam Porphyrius generis ſignificationes explicauit,de tertio apud Philoſophos tantùm orationem eſſe ait.

IDQVE HOC modo deſcribunt]. Igitur prius,quid ſit deſcriptio, & quid definitio:quidq́; inter definitionem atque deſcriptionem interſit,diſſerendum eſt, atque ita demum cauſſam inueſtigabimus quamobrem genus deſcriptione,non autem definitione explanarit:quanquam rei quæ definiendo explicatur naturam definitiones declarant maximè , & quæ ſunt ad quaſque quæſtiones accommodata circunſcribunt , & quæ ab his abhorrent reſpuunt . Dicendum itaque eſt rem quanque,& vnam eſſe,& multas:ideoque & nomine,& oratione res omnes explicari. Ac nomine quidem,cùm vt res vna quæpiam ſpectantur:oratione verò,cùm vt multis ex partibus coaleſcunt, cõſyderantur:verbi gratia,& hominẽ hominis nomine deſignamus,& oratione quæ ait,homo eſt animal mortale rationis particeps.Iam oratio hęc quæ res de quibus agitur declarat,vel ex iis quę in ipſa rei natura hærent ducitur,vel ex iis quæ rem comitantur.Si ergo à re ipſa petatur,definitio dicitur,vt animal rationis cõpos, mortale:nam hæc hominis eſſentiã cõplent & efficiunt:ſin verò ab accidentibus trahatur,appellatur deſcriptio,vt ſi quis definiat hominẽ eſſe animal quod erecto cęlum verſus corpore ambulat,quodq́; latos habet vngues,ac manibus vtitur:nam hęc ſunt hominis naturã conſecuta : nõ enim eius abſoluunt ſubſtantiã,ſed ei accidunt.Hoc ergo inter finitionẽ atq; deſcriptionẽ intereſt,quòd definitio ex propria vi planã facit rem eam quæ definitur : deſcriptio autẽ ex accidentibus rei vim naturamq; declarat.Porrò deſcriptio quaſi adumbratio quędam nominata eſt.Nam vt apud pictores adumbratio,imaginis imitationẽ proſequitur, nõ rem apertè prodit:ſic deſcriptio illuſtrat declaratq́ue quodammodo propter ſimilitudinem id quod ſignificatur,ſed non aptè,& commodè naturam eius explicat. Definitio verò vim & naturam rei quæ definitur lucidè perſpicueq́ue explanat. Itaque perfectæ delineationi comparatione quadam definitio,& proportione reſpondet:atque adumbrationi,deſcriptio . Quoniam igitur definitio genere declaratur & conſtituentibus differentiis , primisq́ue generibus priora nulla ſunt , vt ex iis atque differentiis quæ diducta genera conſtituunt generis definitionem explicaret , hæc autem de capite generis omnis oratio eſt : idcirco cùm generis tradere definitionem Porphyrius non poſſet, ipſum obſcura deſcriptione informauit.Res enim eas quæ exponi definitione nõ poſſunt,adumbrare deſcriptione conſueuimus . Definitionum autem quæ ad vim generis explicandam valent

Quare Porphyrius genus deſcriptione, non etiã definitione explicarit.

copia

copia omni deſtituimur. Primùm quidem, quemadmodum ſuprà dixi, quia de genere ſimplici hæc inſtituta eſt oratio quod in vniuerſum poteſt cadere. Porrò ſummi generis nullum eſt genus, tum enim ſummũ non eſſet. Atqui ſi genus non ſit, cohærere definitio non poteſt: nam definitio omnis ex genere ſumitur, & differentiis quæ rem eam quam definire volumus conſtituunt. Præterea ſi nullum ſit genus, conſtituentes differentiæ eſſe non poſſunt: nam formas illæ, & formæ genera (vt paulò poſt videbimus) partiuntur. quæ ergo res genus non habet, ea ne differentias quidem quæ rem quam definiendo aperimus cõſtituant, obtinebit. Atque hæc prima quidem eſt ratio, cur generis tradi definitio non poſſit. Altera autem, quia ambigua eſt generis appellatio. Nam id decem modis dicitur, vt ex Categoriis ĩtelligi poteſt: Ambigua verò definiẽdo explicari nõ poſſunt, quia vocabula ſunt nuda, quæque rebus quæ ab ipſis ſignificãtur diſcrepant: definitio autem rei de qua agitur vim ac naturam illuſtrat atque aperit: quæ autem eadem finitione continentur, rebus etiam inter ſe conſentiunt atque conſpirant. tribui ergo ambiguis definitio, quę ad omnes eorum partes pertineat, non poteſt, ideoque ea deſcriptione notamus. fieri ſiquidem poteſt, vt in iis quæ naturâ diſſident, eædem conſecutiones nitantur. Igitur quemadmodum hoc loco cùm multa ſint, eaque eſſentia diuerſa genera, vna tamen & eadem in ipſis affectio ad formas ſibi ſubiectas cernitur: qua genera quædam, quædam ſpecies appellantur, propterea generis ſimplicem definitionem nõ reddidit, ſed id deſcriptione illuſtrauit, vt eam decem generibus accõmodare atque coaptare poſſit. Sed exorietur fortaſſè quiſpiam, qui dicat, quoniam quæ ambigua ſunt definiendo non aperimus (ſiquidem definitio quòd ſit id de quo agitur oſtendit, ea autem voces puræ ſunt) quamobrem iis deſcriptionem aſſignamus? *Quæſtio.* Etenim deſcriptio accidentium frequentia ex quibus ſubiectum quid ſit eluceat, declaratur: in rei enim nos eius cognitionem ducunt, quam ea conſequuntur. *Dilutio.* Quoniam igitur deſcriptione vna ambigua explicamus, ac deſcriptione in naturæ ſubiectę intelligentiam trahimur, non nomina modò, ſed res etiam eædem comperientur, quod eſt abſurdum. Nam hæc genera decem reperientur, eſſentia, quantitas, qualitas & cætera, quæ ambiguo genere continentur. Ac huiuſcemodi quidem quęſtio eſt. Eam autem nuper ratione quadam diluimus, cùm diceremus fieri poſſe, vt iis quæ ſubſtantia ſunt diuerſa prædita, accidentia eadem conuenirent, quibus ipſa quoque deſcriptio conſtituitur. Quemadmodum ergo in decem Categoriis eędem ad ea quæ illis ſubiecta ſunt affectiones inerant. nam vt eſſentia cùm corpus atque expers corporis ambiat, eorum, quæ ipſa formæ ſunt, genus eſt: ſic quantitas, cùm ſpecies duas, coniunctam atque deiunctam, contineat, genus earum eſt: eodemque modo qualitas cùm ſpecies multas complectatur, earum genus eſt, itemque cætera omnia eiuſdem generis: adeò vt eadem relatio Categoriis omnibus quadret, minimeque mirum eſſe debeat ſi eorum quæ ſubſtantia differunt, vna tribui poſſit deſcriptio, quãquam diuerſæ res, quas deſcribimus, efficiantur. In generibus igitur decem ea ineſt ſimilitudo, quòd in multis ea dicuntur: nõ autem de his, ac tam multis. Nam aliud fortè de formis quatuor dicitur, aliud de his aut illis, omniaque ſunt ambigua, & in multis dicũtur. Quocirca deſcriptio aut ex vi verbi atq; notatione ducitur, hoc modo, Vindex aſſiduus, locupletem notat vindicem. Locuples enim aſſiduus, vt ait Aelius appellatus eſt ab ære dando. aut ex accidentium frequentia elicitur, eaque tractatur hoc modo, homo animal eſt quod cælum verſus erecto corpore incedit, & latos habet vngues, vt antè dixi. At verò definitio, aut à materia trahitur, vt cùm iram definimus, feruorẽ eſſe cordi ſuffuſi ſanguinis: aut à ſpecie, vt cùm acceptæ iniuriæ retaliandæ ſtudium eam eſſe dicimus: aut ab vtroque etiam ſumitur, vt cùm iram definimus feruorem cordi ſuffuſi ſanguinis, propter referiendi cupiditatem. Atque cùm à ſola quidem materia, aut ſpecie definitio ducitur, imperfecta nec ſe ipſa cõtenta eſt: ſed cùm ab vtroque elicitur, perfecta demum definitio exiſtit, quia vtrunque deſignat. Perfecta verò definitio eſt, quæ ex genere & differẽtiis rem conſtituentibus coaleſcit. Nam materiæ munere genus fungitur: ſpeciei, differentiæ. Itaque hæc definitio in res medias & velut interiectas cadit: nec enim prima, nec vltima genera complectitur, nec conſtituentes differentias, ſed formas ſolùm, vt indiuidua. Quibus ex rebus efficitur, vt eorũ deſcriptiones, non definitiones reddamus: veluti, Socrates eſt filius Sophroniſci, Athenienſis Philoſophus, ventre prominulo, caluus, aduncis naribus, & ſi quid aliud eſt eius generis quod eum conſequatur. Iam qui aſſerunt genera prima conſtituentes habere differentias, prauè mihi ſentire videntur. Nam differentias eas quibus genera in partes & formas diuidimus, illa quidem habent: quæ ſpeciem efficiunt, non item. Nam quidquid alterius eſſentiam naturamque conſtituit, eo eſt quod conſtituitur antiquius. ſiquidem, quemadmodum paulò antè dixi, differentiæ quæ diuiſa genera in ſpeciem formant, multò antè genera in ſpecies prima diducunt. Cùm igitur ratio & mortalitas hominis, mortalitas & rationis carẽtia equi vim naturamque compleant, genus ea quoque (animal puta) in membra ac partes tribuunt. Quippè animal in rationis particeps & rationis expers, in mortale & immortale diſcerpitur. Quamobrem præclarè à nobis dictum eſt, ſpecies eas quæ

Ammonius Græcis utitur exemplis: quæ quia aptè ad noſtrũ morem cõuerti nõ potuerunt, Latina adhibere maluimus.

quæ rei alicuius vim naturamque complent, re ipsa antiquiores esse solere: summo autem genere nihil est prius. Quæ cùm ita sint, cumque definiendo explicari vniuersum genus non possit, eius rationem descriptione iure exposuit. Cæterùm quò faciliùs intelligatur, quæ sit hæc descriptio, & vnde fluxerit, dicamus ad hunc modum, eademque opera nõ temere, aut sine ratione Porphyriũ, de his quinque vocibus disceptare, sed quòd necesse sit voces omnes ad vnam harum aliquã quodammodo referri, perspici inde poterit.

Diuisio uocum

Vocum aliæ nihil significant, vt gnax, blityri: aliæ quippiã denotant. Et harum rursum hæ vel de vno dicuntur, vt cùm Platonem aut Socratem, aut aliquod indiuiduum efferimus: vel de multis. Quæ autem de multis dici solent, aut in rei essentia, aut in consecutionibus dicuntur. ac si in essentia quidem, aut in quæstione qua quid quicq; sit quæritur, aut quale, dicuntur. Atque si rei quidem qualitas exquiritur, oritur differentia: sin natura indagatur, aut de multis, specie autem differentibus, vt genus: aut de iis quæ numero differunt, vt species enunciantur. Prętereà si in accidentibus dicuntur, aut de vna specie enunciantur, vt proprium: aut de multis, vt accidens. Atque ex hac diuisione apparet necesse esse, voces omnes quinque vti vocibus, nec minore maioréue numero contineri. Diximus enim vocum cassas alias significatione esse, alias significare. Et inter eas quæ significant, alias de vno, atq; alias de multis dici. In iisq; esse quæ de multis dicuntur, genus, speciem, & differentiã, proprium, & accidens. Septem itaque cùm sint vocum genera, vnum earum quæ nihil significant, alterum earum quæ de vno solo dicuntur, tertium earum quæ de multis enunciãtur, quo in genere sunt genus, differentia, species, proprium & accidens: duobus superioribus abiectis, quinque solum relinquentur. Reiiciuntur enim voces quæ omni significatione vacant, vtpote quæ nec Grammaticis, nec Oratoribus, multoque minus Philosophis sint vsui. Prætereà expelluntur etiã ex harum rerum finibus quæ in indiuiduis modò dicuntur, quoniam hæ ad singulas generis partes pertinent. Nam quæ sunt eius generis, infinitæ censentur, & nullo certo numero circunscriptæ.

Plato in Cratylo.

At Philosophi rerum omnium certam profitẽtur scientiam: atque, vt est apud Platonem, scientia proinde ἐπιστήμη à Græcis appellatur, quòd nos in certam quandam quæstionum omnium cognitionem, vltimumque perducat. Cùm igitur res singulæ quæ multæ sunt ac propemodum infinitæ, scientiã non efficiant, & ex eorũ sint numero quę de vno solo dicũtur, meritò illæ quidem reiiciuntur: tumque fiunt reliquæ voces quinque, Genus, species, & media inter hæc differentia, proprium, atque accidens. Sub easque voces subiecta esse omnia animaduertes, siue motum, siue infinitum dicas. Atque hæc quidem de diuisione vocum in vniuersum dicta sint. Deinceps autem eadem apertius copiosiusq;, si possumus, dicamus. Vocum quædam significationis expertes sunt, veluti gnax, blityri: aliæ significatione præditæ. ac de iis quę non significãt, nullus nobis est sermo. Itaque quæ sunt omni significatione absolutæ, de nullis dici perhibentur, quòd de nulla re commodè enunciari queant. Porrò earum quæ significationis compotes sunt, aliæ de vno dicuntur, vt Socrates, Plato. Aliæ de multis, vt genera, species, differentiæ, propria, & accidentia. De reliquis autem nulla est à Philosophis (vt dixi) instituta oratio. Ad hæc earum quæ de multis dicuntur, aliæ in essentia, vt genera, & differentiæ (namque hæc naturã cõstituunt) aliæ non de substantia enunciantur, vt propria & accidentia: siquidem hæc subiectorum vim atque naturam non complent. Rursum eorum quæ in rei dicuntur substantia, alia de iis quæ forma discrepant efferuntur, vt genera, & differentię: alia de iis quæ numero differunt, vt indiuidua: quæ inter se non specie, sed materia vel numero disiunguntur veluti Xanthus equus, & Balias.

Xanthus & Balias Achillis equi fuerunt, quorũ cũ aliis multis in locis, tum uel maximè Iliad. π & τ. Homerus meminit.

Hi enim inter se non forma, sed materia atque numero discrepant. Prætereà denarius numerus ex decem vnitatibus non confusis illis quidem, sed distinctis ac separatis constituitur (nunquam enim dixeris denarium ex vnitatibus coniunctis & confusis componi) atque inde quidem distinctionem varietatemque generis & speciei, ac differentiæ consequimur. Nam hoc inter ea interest, quòd species de iis quæ numero inter se differunt dicitur: genus autem ac differentia de iis quæ forma distincta sunt, enunciantur. Rursum quædam in quæstione dicũtur, qua quid quicq; sit quæritur, quæ quidem eius sunt generis vt aptè cùm rei natura indagatur, responderi possint: vt si quis, quid homo sit roget, animal inquimus: genus etenim hominis est animal. Quare efferri genus dicitur, cùm rei natura quærendo inuestigatur. Ea autem in eo quod quale est enunciantur, quæ cùm vel qualitas, vel subiecti quæritur modus, respõderi solent: vt, cùm qualisnam sit homo quærit aliquis, rationis particeps respondemus: quę eius est differentia. Quocirca differentia in quæstione dicitur, qua quale quidque sit quæritur. quibus ex rebus perspici generis atque differentiæ dissimilitudo à nobis potuit. Nam eo inter se genus & differentia secernuntur, quòd illud in quęstiõe qua rei vis & natura quæritur, dicitur: hæc, cùm quale quid sit indagatur.

Quinq; uocũ inter se distinctio.

Si enim quid sit homo rogemur, aptè animal respondebimus: at quale animal sit si requiratur à nobis, rationis particeps & mortale, accommodatè respondebimus. Iam eorum quæ in rei nõ dicuntur essentia, partim in formam aliquam cadunt, vt propria: partim in multas, vt accidentia. Itaque ex ea

diuisione,

diuisione,perspicua nobis euasit proprij accidentisque distinctio. Nam proprium hoc ipso quod de vna modò specie cuius proprium est dicitur,ab accidentibus separatur omnibus quæ de multis efferuntur.Ex quo intelligi facilè potest, voces omnes ad vnam harum aliquā necesse esse referri: atque adeò ex constituta partitione rei cuiusque sumi finitionem posse : si ea modò delegerimus, quæ ad rei cuiusque vim atque naturā definiendo explicandam pertinent:quemadmodum & ipse fecit Porphyrius,cùm genus esse definiuit,quod de multis,specie autem differētibus dicitur, cùm quid quidque sit quæritur.Nam cùm genus in multis dici asserit, ipsum ab indiuiduis seiungit omnibus,quæ de vno tantummodo dicuntur. cùm verò de specie differentibus , ab iis quæ vt species dicuntur & propria.Cùm verò in quæstione ipsum dici ait qua rei natura indagatur , à differentiis & ab accidentibus secernit atque distinguit,quæ nō in quæstione qua vis & natura rei, sed qua qualitas inuestigatur,dicuntur.Ac diuisionē quidem hanc populariùs,& pinguiore Minerua persecuti sumus,vocum differentiam explicare,necesseque esse vt his duntaxat nec pluribus paucioribusue Aristoteles vtatur ostendere,volentes.Nam cùm septem sint (quemadmodum dictum à nobis est)vocum genera,duobus reiectis prioribus, quinque solùm supersunt . Porphyrius autē quia hoc tempore quamobrem Aristoteles quinque modò voces ad suum vsum adhibuerit docere non instituit,sed vocum inter se discrimina,atq; distinctiones tradere,idcirco coacta in arctum partitione,de hisce rebus ad hunc prope modum exquirit.Significantium vocum aliæ de multis, de vno aliæ dicuntur , superiorem enim diuisionis partem prætermittit . ac de vno quidem dicuntur singulæ res atque insectilia , qualia sunt Socrates, Plato, Alcibiades . Rursum earum quæ de multis efferuntur , aliæ de his quæ forma,aliæ de his quæ numero inter se discrepant.De forma differentibus,genus,species,atque accidens enunciantur . Animal enim cùm genus sit,de homine , & equo dicitur . Itemque differentia vt rationis particeps, in multis formis vt angelis,hominibusque dicitur:& mortale in iis quæ ratione carent,vt equo ac cęteris animātibus.Atque accidens de multis dicitur formis , namque de candore id atque atrore , de statu & sessione dicitur. In iis autem quæ numero differunt,proprium atque species numerātur. Nam quæ de iis quæ forma dissident efferūtur,aut in quęstione qua rei natura indagatur,aut qua qualitas & modus inuestigatur,dicuntur.Ac in quæstione quidem qua quid quidq; sit quæritur,dicitur genus . In ea qua rei qualitas quærendo inuestigatur,differentia & accidens id,quod elui funditus non potest.In ea verò qua modus exquiritur, accidens quod potest à re subiecta separari . Cùm enim quomodo sit affectus Plato quærit aliquis,secunda frui eum valetudine,aut morbo iactari,aut stare, aut sedere, cæteraque omnia generis eiusdem respondemus.Sed dubitari potest,si ad vocem vt genus quinq; quas diximus voces referuntur,esse aliud genus quo summa genera cōtineantur. quod est absurdum.Dicimus ergo non vt res,sed vt voces genera in hanc diuisionem incurrere.Nam vt summæ res atque generalissimæ sunt,ad id quod ad plura pertinet referri non possunt.

EORVM ENIM quæ prædicantur,alia quidem de vno dicuntur solum]Hinc perspici potest,traditam generis descriptionem,ipsum ab aliis omnibus secernere.

ET HIC,& hoc]Nam & hæc sunt indiuidua,quippè quæ de vno tantummodo dicātur. Indicādo enim dicimus,hic homo,hæc & illa res.Ac scitè quidem Philosophi de singulis rebus disserentes,hunc orationis cursum rationemque dicendi tenuerunt. Nam ea in demonstrationē atq; sentiendi vim cadunt.Homo enim cōmunis ac vniuersus,& animal , itemq; cætera omnia eiusdē generis quę in ipso nituntur artifice,nec sensibus nec demōstratione vsurpantur.Quamobrē pręclarè quæ sunt generi subiecta ad demonstrationē reuocarunt,non etiā ipsa generalia.Ea verò indiuidua vocitantur ex eo,quod nec similes in partes , nec in dissimiles dissolui possint , vt genera & species:sed simul ac secantur extinguantur,atque intereant. Animalis enim quod in me est cōmunes & vniuersæ proprietates non sunt,sed id in me circunscribitur . Eademque est cæterorum ratio.nam rationis particeps, quodque è proprietatum huiusmodi accidentiumque aceruo consistit,homo definitur.

ET ACCIDENTIA quæ communiter]Vt candor,& nigror.Nam quę ad singulas generis partes pertinent,de multis non dicuntur,veluti candor qui in hoc hæret corpore,& cicatrix in Vlysse posita,ex qua eum nutrix agnouit.Nam ea in ipso solum erat:alioqui si in aliis quoq; fuisset,quî ex ipsa eum potuisset agnoscere?Atque idcirco ea dixit accidentia quę cōmuniter in multis,non propriè in vno insunt,id est,vniuersa & communia,non singula.

Vlysses cōfecto Troiano bello,post uarios casus domum reuersus, ab Euryclea ex pedis cicatrice agnitus est.Homerus odysseæ.T.

EST AVTEM genus quidem,vt animal]Adumbrata hæc tractatione explicat, atque exemplo adhibito,quid horum quidque sit explanat.

AB IIS verò quæ de vno solo] Hoc loco docet quonam modo explanata generis definitio, aut certè descriptio , ipsum ab aliis omnibus seiungat . Nam genus in multis iisque differentibus nō numero solùm, sed etiam forma dicitur.Species verò de numero differentibus effertur.Quāobrem

obrem vnius cuiuſque vocis hac ratione reddenda definitio ſiue deſcriptio eſt. Genus eſt vox quę ſignificat, quęque de multis, ſpecie autē differentibus dicitur, cùm quid quidque ſit quæritur. Species eſt vox ſignificans quæ de multis, ſpecie autem differentibus in rei natura quærenda dicitur. Differentia vox eſt ſignificans, quæ de multis, iiſque ſpecie differentibus in quæſtione qua quale quid ſit indagatur, dicitur. Proprium vox eſt, quæ rem naturæ comitem ſignificat, ac de vna modò ſpecie, cuius proprium eſt, dicitur. Accidens autem vox eſt ſignificatione prædita, quæ eſſentiam conſequitur, quæque in quæſtione ea dicitur, qua rei qualitas & modus inueſtigatur.

Quinque uocum definitiones.

ANIMAL VERO cùm ſit genus, de homine, & equo, & boue prædicatur]. Scire eſt operæpretium, quæ forma differunt, eadem numero quoque differre: non contrà quæ numero, eadem & forma diſcrepare. Siquidem iſta nō reciprocantur. Intelligendum quippè eſt, tria genera eſſe eius quod idem appellatur. Aut enim genere idem, aut forma, aut numero dicitur. Eadem genere ſunt, homo, equus, canis, bos. Nam hæc eodem genere continentur, quoniam in animātis omnia naturam conueniunt. Forma idem ſunt Theon, Plato, Alcibiades: nam ſpecies ęos eadem cōplectitur. Numero idem ſunt, homo, ac mortalis: enſis & gladius. Atqui ſi trifariam idem dicitur, diuerſum quoque tribus notabitur modis. Nam aut diuerſum id dicetur, quod eſt diſtinctū genere, aut quod ſpecie: aut quod numero. Ac quæ genere quidem diſcrepant, & forma planè diſſident, & numero: veluti homo & candor genere differunt: nam homo animal eſt, ac candor qualitas. Quocirca ea & ſpecie quoque differunt, alia enim eſt hominis atque alia candoris ſpecies: ſiquidem homo ſpecies eſt animalis, quod generis nomen obtinet: candor autē qualitatis colorisq; forma eſt. Quinetiam ea ipſa numero quoque diſſentiunt, qui enim eſt ſubiectus ſenſibus homo, vt Socrates, diuerſus eſt à Platone. Quamobrem præclarè dictum à nobis eſt, quæcunque genere inter ſe diſcrepant, eadem forma atque numero diſſidere. Cæterùm quæ forma differūt, numero ea quidem diſſident, genere verò non item, vt homo, equus. Nam hæc inter ſe forma diſcrepāt: alia enim eſt hominis atq; alia equi ſpecies: quinetiā & numero: alia enim eſt equi atque alia hominis materia: nō continuò tamen ea genere à ſe inuicem diſiunguntur, quoniam in eſſentia animantis conueniunt. Ob eamque cauſſam Porphyrius hæc ſpecie etiam, nō ſolùm numero differre dixit: ac ſi per ſe ſatis conſtaret, quæ ſpecie inter ſe diuerſa ſunt, ea numero quoque diſcrepare.

ἄνθρωπος κὴ βροτός.

A DIFFERENTIA verò, & ab aliis quæ communiter ſunt accidentia differt, genus]. Poſtremò, inquit, inter genus & differentiam, ac vniuerſa accidentia hoc intereſt, quòd hæc quidem in quæſtione qua qualitas & rei modus inueſtigatur, dicuntur: genus autem, cum rei vis atque natura indagatur. Porrò ab iis quę in quæſtione qua quid quicque ſit quæritur, hoc ſeparatur. A ſpecie primum, quod ſpecies etſi de multis illæ quidem dicuntur, ſed tamen ſpecie minus differentibus, verùm numero. At verò genus de multis, iiſque quæ ſpecie etiam, non ſolùm numero diſſentiunt, enunciatur. Prætereà à proprio etiam ſeiungitur, quòd proprium vni modò ſpeciei conuenit, genus autem non ſolùm de vna ſpecie dicitur, ſed de multis.

QVARE QVOD de pluribus prædicetur genus, eo ab iis diuiditur, quæ de vno ſolo indiuiduo prædicantur]. Breuiter oſtendit vnumquodque eorum quæ ſunt in deſcriptionem generis aſſumpta, aptè accommodateque vſurpatum fuiſſe.

QVAE NON IN EO QVOD quid eſt, ſed in eo quod quale quid eſt, & quomodo ſe habet vnumquodque prædicantur]. Cùm enim quomodo ſit affectus Socrates, quærit aliquis: benè eum aut malè habere reſpondemus. Nam & aliæ præter accidentia ſunt differētiæ, vt ſimum eſſe, eſſe aduncis naribus, & caluum. Quod verò in quæſtione dicitur, qua rei natura indagatur, & à differentiis ſecernitur, & ab accidentibus vniuerſis, quæ non in quæſtione qua vis & natura rei, ſed qua qualitas & modus inueſtigatur, dicuntur omnia de his, de quibus quidque dicitur. In quæſtione autem qua quid quale ſit quęritur, differentia dicitur: in ea verò qua rei modus exequitur, cōmunia accidentia. Nonnulli autem volunt eum, cùm inquit, vel quo modo ſe habet vnumquodq;, quæ propriè in rem aliquam cadunt cōpręhendiſſe. Dicimus igitur, ea quāquam in quæſtione dici queant qua rei modus inueſtigatur, in iis tamen eſſe quæ de vno ſolo dicuntur. Ab iis autem genus ſuprà ſeiunxit, cùm diceret, Quare quod de pluribus prædicetur genus, eo ab iis diuiditur, quæ de vno ſolo indiuiduo prædicantur.

NIHIL IGITVR ſuperfluum, neque minus continet generis dicta deſcriptio notionis]. Definitiones rei quam definire volumus conuenire ſolent, eamque totam vſq; eo cōpręhendere, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſſit. Idcirco enim definitiones appellatæ ſunt, quòd rem quā definire velis cōplectantur & contineant, ducta ab agrorum finibus appellatione. Porrò definitiones duobus modis vitioſæ fiunt: ſi quid prętermittatur, aut redundet. Nam præclarè, hoc eſt à Philoſophis vſurpatū, Virtuti vni & aptæ cuiuſque rei compoſitioni, duo vitia quæ fugiamus eſſe contraria. Sic enim iuſtitia vna quędam virtus eſt, eique augendarū opum

nimium

nimium ſtudium, atque nimia facilitas adiacet. Is autem nimio quodam ſtudio rerum augendarũ & amplificandarum teneri dicitur, qui rei familiaris amplificationi plus ſatis incumbit: is autẽ facilis nimium & ęquus nuncupatur, qui opum augendarũ ſtudio nullo tenetur, vt etiã premi ſe patiatur, multaq́; multis ſic de ſuo iure concedat, vt rem ſinat familiarẽ delabi. Itemq́; fortitudo virtus eſt, atq; timiditas ei audaciaq́; opponitur. Rurſusq́; temperantia in virtute ducitur, ei autẽ ſtoliditas atq; intemperantia repugnat. Nam ſtolidi ſunt, qui minus quàm par eſt voluptate mouentur: intemperantes qui cõcitantur immoderatius, aut voluptate nimia geſtiunt. Quinetiã prudentia virtus eſt, eiq́; dementia atq; inſolentia aduerſatur. Vt igitur ſeſe in his res habet: ſic & in definitione. Perfecta enim eſt definitio, quæ rem quæ definitur circunſcribit, quæq́; nihil extra ipſam relinquit, nec quicquam eorum quæ cum vi & natura rei cohærẽt prætermittit. Verùm huic, vt & cæteris virtutibus, vitia ſunt contraria, exuperãtia atq; defectio, quemadmodum à nobis anteà dictum iam eſt. Itaque quæ redundans quippiam continent, vt aliquid in re omnino prætermittatur efficiunt, viciſſimq́; quæ parum explicatum quippiam cõplectuntur, deeſſe vt quippiam videatur faciunt. veluti hominis definitio, animal eſt mortale rationis particeps, hacq́; definitione homo à cæteris animantibus omnibus ſeparatur, ac vniuerſos ea homines compręhendit. Definitio igitur cui addi quippiã poteſt, vt in re aliquid redundet efficit, vt animal mortale: nõ modò enim homo eſt mortalis, ſed & equus, & canis, & alia multa. Præterea quę aliquid redundans habet eò rem deducit, vt prætermiſſum in ea quippiã fuiſſe videatur, vt animal rationis compos, mortale, grãmaticum. Nam ea non homines vniuerſos complectitur, ſed eos duntaxat qui ſunt literis politioribus eruditi: idq́; meritò. Nã quò res cõpoſitiores ſunt, eò ad pauciora pertinẽt: quò verò ſimpliciores, quia ad primum & cõmune rerum omniũ initiũ propiùs accedunt, eò latiùs manant, & plures in res transferũtur. Quãobrem animal per ſe illud quidem ad plura pertinet: at ſi cum rationis participe copuletur, cogitur anguſtius: & rationis particeps ſi cum mortali cõmittatur, pauciora quoq́; comprehendit: quod ſi adiiciatur grammaticum, arctius etiam conſtringitur. Quocirca definitiones quibus addi quippiam poteſt, rem quæ definiendo explicatur faciunt ſuperare. Quæ verò redundans aliquid ſuo velut ambitu cingunt, vt à re poſſit quippiam auferri. Quod indicans Porphyrius ait definitionem ſiue deſcriptionem generis explicatam ab hiſce omnibus recedere, quæ vitiũ definitionibus afferunt. Non enim eam quia redundans quippiã cõtineat, defectuoſam rem reddere, aut quia prætermiſſum aliquid & parum explicatum complectatur, redundantem.

> *Quid ſit πλεονεξία & ἡμφονεξία docet Ariſtoteles. 5. libro de morib⁹ ad Nicomacum.*

GENERIS deſcriptio notionis]. Dictũ à nobis eſt triplicem eſſe generũ differentiam. Alia enĩ ante multa ſunt, alia in multis, alia à multis, quæ genere poſteriora, & noſtro in animo ſita eſſe dicuntur, quoniã ratione & intelligentia ſolent cõprehendi. Inſtituit igitur Porphyrius genera ea tradere, nõ quæ ante multa, aut in multis: ſed quę à multis ſunt, id eſt, quæ in animis ipſis hærent ac nituntur: atq; idcirco deſcriptionem generis dixit, quæ eius notioni conſtituta eſt, hoc eſt, generis eius deſcriptionem quod ratione & intelligentia cõprehenditur. Eo porrò modo genus in animo atque notione verſatur, quo rem quamque intelligentes eam ipſam definiẽdo explicamus. Veluti hominem propria ratione percipientes in eamq́; cõparatione quadam & proportione defixi, hominem animal eſſe rationis compos ac mortale dicimus. Itaq; Porphyrius ait nihil redundans, nihil parum explicatum continere, deſcriptionem quæ generis notioni eſt conſtituta.

VIDETVR autem neque genus]. Quæſtio. Cur genus ſpeciei, differentiæ, proprio, accidẽtique prætulerit Porphyrius. Reſpondendum iure factum videri. omne enim quod vniuerſale eſt, intra ſeipſum cętera concludit: ipſum verò non magnitudine clauditur. genus autem ſpecies intra ſe poſitas habet, & earum differentias, propriaque, nihilominus etiam accidentia. quare à genere inchoandum fuit quod cætera naturæ ſuæ magnitudine coercet & continet. BOETIVS.

Præterea illa ſemper priora ſunt, quæ ſi auferat quis, cõtenta cætera perimuntur: illa poſteriora, quibus poſitis ea quæ cæterorum ſubſtantiam perficiunt, conſequuntur. ſed ſublato genere cætera conſumuntur, poſitis verò cæteris ſequitur genus. prior igitur natura generis, poſterior cæterorũ. quare meritò præpoſitum eſt genus.

Quia nomen generis eſt multiplex & ambiguum, prius eius ſignificationes diſcernit, ac ſeparat, vt de qua ſignificatione generis tractaturus eſt, ſub oculis ponat.

Quæſtio, cùm non ſolùm genus & ſpecies, ſed etiam differentia proprium & accidens multipliciter dicantur: cur de his tantum duobus genere inquam ac ſpecie, dixit non ſimpliciter dici. Dicendum eſt hoc factum fuiſſe prolixitatis vitandæ gratia, ſpeciemque generi adiecisſe vt oſtẽderet omnia prædicabilia multipliciter dici.

GENVS & aliquorum]. Vna, inquit, generis ſignificatio eſt, quæ in multitudinẽ venit, à quolibet vno principium trahens, ad quod ſcilicet illa multitudo coniuncta eſt: vt ad ſeinuicem per eiuſdem vnius principium copulata ſit. vt cùm Romanorum genus, dicitur multitudo Romano-

rum ab vno Romulo vocabulum trahens,& ipſi Romulo,& ad ſeinuicē quaſi quadam hęreditate coniuncta eſt.eadem enim quæ à Romulo ſocietas deſcendit,Romanos inter ſe omnes vno generis nomine deuincit & coalligat.Ordo autem verborum ita ſeſe habet,qui eſt hyperbaton intelligendus. Genus enim dicitur , & aliquorum ad vnum ſe aliquo modo habentium collectio , & ad ſeinuicem aliquo modo habentium,rurſus collectio eſt ſubaudienda. eſt enim & zeugma . Cuius ſignificationis adiecit exemplum.

DICITVR AVTEM & aliter].Quatuor ſunt principia : quæ vnumquodque principaliter efficiunt.Eſt enim vna cauſa quæ effectiua dicitur,velut pater filij. & alia eſt materialis : velut lapides domus.Tertia forma,velut hominis anima.quarta finalis, vt pugnæ victoria. duo verò ſunt quæ vniuſcuiuſq; dicuntur per accidens principia,locus ſcilicet ac tempus . omne enim quod naſcitur,in loco vel tempore eſt. & quicquid in loco vel tempore natum factúmve fuerit , eum locū vel id tempus accidentaliter dicitur habere principium.

Horum omnium in hac ſecunda generis ſignificatione duo quædam ex alterutris aſſumit:quæ ad ſignificationem generis videbantur accommodata . ex iis quidem cauſis quæ principalia ſunt, effectiuum:ex iis verò quæ accidentia,locum. ait enim, genus dicitur, à quo quis genitus eſt, quæ eſt effectiua principalium cauſa : & in quo quis loco eſt procreatus , & locum in quo quis æditus eſt,vt exempla quoque ipſa demonſtrant.

Oreſtem porrò dicimus à Tantalo genus ducere . Tantalus quippè Pelopem, Pelops Atreum, Atreus Agamemnonem,Agamemnon genuit Oreſtem . itaque à procreatione genus hoc dictum eſt.at verò Pindarum dicimus eſſe Thebanum : ſcilicet quoniam Thebis æditus eſt , tale generis nomen accepit.

ET PRIVS quidem]. Quæſtio,cùm prius multitudinis ſignificationem retulerit ad generis nomen, pòſt autem ad procreationis initium , nunc contrario modo illam poſterius à ſe dinumeratam ſignificationem dicere videtur priorem quæ eſt procreationis, illam verò poſteriorem quæ eſt multitudinis. quod contrarium videri poteſt , ſi quis ad ordinem ſuperius digeſtæ diſputationis aſpexerit.Sed hìc de ſe non loquitur, ſed de humani conſuetudine ſermonis,in quo prius eam ſignificationem generis fuiſſe dicit quæ à procreante ſit ducta.accedente verò ætate, loquendi vſu nomen generis etiam ad multitudinem habētem ſe quodam modo ad aliquem,fuiſſe tranſlatum.

ALITER AVTEM rurſus genus dicitur]. Tertium addit genus de quo inter Philoſophos ſermo eſt,illud ſcilicet cui ſupponitur ſpecies,quod idcirco genus vocatum eſſe ſub opinionis ſuę credit ambiguo,quoniam habet aliquam ſimilitudinem ſuperiorum. Nam ſicut illud genus quod ad multitudinem dicitur,vno ſolo nomine multitudinem claudit,ita quoque genus plurimas ſpecies coërcet & continet.Item vt genus illud quod ſecundum procreationem dicitur , principium quoddam eſt eorum quæ ab ipſo procreantur,ita genus ſpeciebus ſuis eſt principium . ergo quoniam vtriſque eſt ſimile , idcirco nomen quoque generis & in hac ſignificatione à ſuperioribus mutuatum eſſe veriſimile eſt.

TRIPLICITER igitur genus cùm dicatur,de tertio apud Philoſophos ſermo eſt].Iure tertium genus Philoſophi ad diſputationem ſumunt , hoc enim ſolum eſt quod ſubſtantiā monſtrat, cætera verò non.Nam illud quod multitudinē continet genus , illius multitudinis quam continet ſubſtantiā non demōſtrat,ſed tantum vno nomine collectionem facit populi,vt ab alterius generis populo ſegregetur.Item illud quod ſecundum procreationem dictū eſt non rei procreatę ſubſtantiam mōſtrat,ſed tantum quod eius fuerit procreationis initium. At verò genus id cui ſupponitur ſpecies,ad differentiam accōmodatum ſpeciei ſubſtantiam informat . Et quòd inter Philoſophos hæc maxima eſt quæſtio quid vnumquodque ſit(tunc enim vnumquodque ſcire videmur, quādo quid ſit,agnoſcimus)idcirco reiectis cęteris de hoc genere quā maximè apud Philoſophos ſermo eſt:quod etiam deſcribentes aſſignauerunt ea deſcriptione,quam ſubter innexuit.

Tria hæc requiruntur in genere , vt de pluribus prædicetur , vt de ſpecie differentibus,vt in eo quod quid eſt:vt animal de homine,boue,equo,quæ plura ſunt & diſtincta ſpecie, id eſt, tota forma ſuæ ſubſtantiæ,in quid prædicatur. nam interrogātibus quid ſit homo, animal reſpondebitur.

EORVM enim quæ prędicantur , alia quidem de vno dicuntur ſolo]. Omnium quæ prædicantur quolibet modo , facit Porphyrius diuiſionem , idcirco vt à reliquis omnibus prædicationem generis ſeiungat ac ſeparet hoc modo.Omnium inquit in prędicatis,alia de ſingularitate dicuntur,alia de pluralitate.De ſingularitate verò inquit,prædicantur, quæcunque vnum quodlibet habent ſubiectum de quo dici poſſint,vt ea quibus ſingula ſubiecta ſunt indiuidua, vt Socrates,& Plato, vt hoc album quod in hac niue propoſita eſt , vt hoc ſcamnum in quo nunc ſedemus : non omne ſcamnum(hoc enim vniuerſale eſt) ſed hoc quod ſuppoſitum eſt,nec albū quod in niue eſt (vniuerſale enim eſt album) ſed hoc albū quod in hac niue nunc eſſe conſpicitur. Hoc enim non

poteſt

poteſt de quolibet alio albo prædicari quod in hac niue eſt,quia ad ſingularitatem deductum eſt, atque ad indiuiduam formã conſtrictum eſt indiuidui participatione. Alia verò ſunt,quæ de pluribus prædicantur,vt genera,ſpecies,differentiæ,& propria , & accidentia communiter , ſed non propriè alicui.Et genera quidem de pluribus prædicantur ſpeciebus ſuis , ſpecies uerò de pluribus prędicantur indiuiduis.homo enim quòd eſt animalis ſpecies,plures ſub ſe homines habet,de quibus appellari poſſit.Item equus qui ſubeſt animali loco ſpeciei,plurimos habet indiuiduos,de quibus prædicatur.Differentia verò ipſa quoque de pluribus ſpeciebus dici poteſt,vt rationale de homine,ac de Deo,corporibuſque cœleſtibus:quæ (ſicut Platoni placet) animata ſunt & ratione vigentia. Proprium item etſi de vna ſpecie prædicatur , de multis tamen indiuiduis dicitur , quæ ſub ipſa ſpecie collocantur,vt riſibile de Platone,Socrate & cæteris indiuiduis dicitur quę homini ſupponuntur. Accidens etiam de multis dicitur.album enim & nigrum de multis omnino dici poſſunt,quæ à ſe genere ſpecieque ſeiuncta ſunt , ſedere etiam de multis dicitur . Homo enim ſedet,ſimia ſedet , aues quoque quarum ſpecies longè diuerſæ ſunt . accidens autem quoniam communiter accidens eſſe poteſt,& propriè alicui,idcirco determinauit dicens . Accidentia communiter,ſed non propriè.quæ enim propriè alicui accidunt indiuidua ſunt, & de vno tantum valentia prædicari,& ea quæ communiter dicuntur, de pluribus dici queunt.

Omnia genera ſpecies differẽtias propria & accidentia,ſi per ſemetipſa ſpeculemur,in eo quòd genera vel ſpecies,vel differentiæ,vel propria,vel accidentia , manifeſtum eſt quoniam de pluribus prædicantur. at ſi ea ſpeculemur in quibus ſunt , vt ſecundum ſubiectum , eorum formam & ſubſtantiam metiamur,euenit vt ex pluralitate prædicationis ad ſingularitatem videantur adduci. Animal enim quod genus eſt de pluribus prędicatur.ſed cùm hoc animal in Socrate cõſideramus, ex pluralitate prædicationis adducitur ad ſingularitatẽ.ſimiliter dicendũ eſt de reliquis vocibus.

Differt genus à ſpeciebus quidem,quoniã ſpecies etſi de pluribus prædicantur , non tamen de pluribus ſpecie differẽtibus,ſed numero.Species enim ſub ſe plurimas ſpecies habere non poteſt: alioquin genus non ſpecies appellaretur.

Tum numero differre videntur, quoties numerus à numero differt,vt grex boum,qui fortaſſè continet triginta boues,differt numero ab alio boum grege:ſi centum cõtinet boues. In eo enim quod grex eſt non differunt,neque in eo quod boues,niſi numero quidem differũt : quòd illi plures,illi verò ſunt pauciores.Quomodo ergo Socrates & Plato differunt numero,cum & Socrates vnus ſit, & Plato vnus,& vnitaş numero ab vnitate non differat ? Reſpondendum eſt differre numero,id eſt,dum numerantur differre.

Ariſtoteles differentias in ſubſtantia putat oportere prædicari, quod autem in ſubſtantia prædicatur,hanc rem de qua prædicatur,non quale ſit ſed quid ſit,oſtendit. Quare differentia nõ videtur prædicari in eo quod quale,ſed potius in eo quod quid eſt.Sed ſoluitur hoc pacto.differentia enim ita ſubſtantiam demõſtrare ſolet,vt circa ſubſtantiam qualitatem determinet,id eſt, ſubſtantiam qualem proferat. *Obiectio.*

QVARE].Genus ab iis quæ de vno prædicantur,differt in quantitate prædicationis:à ſpeciebus verò & proprio,in ſubiectorum natura:quoniam genus de ſpecie differentibus dicitur , proprium verò & ſpecies minimè.Item genus in qualitate prædicationis, à differentia accidenteque diuiditur.Qualitas enim prædicationis quædam eſt,vel in eo quod quid ſit , vel in eo quod quale ſit prædicari.

NIHIL igitur ſuperfluum]. Omnis enim deſcriptio vel definitio , debet ei quod definitur æquari.Id autem fieri poteſt, ſi neque ſuperfluum quidquam habet neque diminutũ , vt in ea ipſa generis deſcriptione.Dictũ eſt enim genus eſſe,quod de pluribus differentibus ſpecie,in eo quod quid ſit prædicatur.Quæ definitio cum genere cõuerti poteſt, vt dicamus quod de pluribus ſpecie differentibus in eo quod quid ſit prædicetur,id genus eſſe.Quod ſi conuerti poteſt(vt ait)nec plus nec minus,generis continet facta deſcriptio.

De genere prius agitur,quòd prius ſit natura(genere ſiquidem ſublato cętera pereũt)vel quòd analogiam cum materia habeat. genus enim eſt vt materia , differentia formæ rationem ſibi vendicat,ſpecies compoſitæ rei aſſimilatur,proprium proprietatis vicem ſubit , accidens eſt vt quippiam extraneum . Secundum igitur naturæ collocationem partes totum præcedunt , totum verò proprietates & res aduentitias.inter partes autem materia formã antecedit.meritò itaque primus locus generi aſcribitur. Eſt & alia ratio ob quã genus in primo loco ſit. Prædicata quæ rei naturã & eſſentiam declarant, accidentariis veniunt præponenda:& inter naturam explicantia,quæ magnitudine ſuæ naturæ alia continent:vel ratione prædicandi aliis præſtant. *

Si quis obiiciat,Ariſtoteles in prædicamentis aſſerit membra eiuſdem diuiſionis eſſe ſimul natura,igitur genus aliis vocibus prius non erit . Reſpondendum eſt membra relata ad diuiſum,eſſe

simul.inter se verò,vnum altero prius esse.

Consensu omnium Philosophorum, multiplex indistinctum confusionem gignit, artemque perturbat.Non enim fieri potest,vt qui ad ea,quæ multis modis sunt dicta,& inter se diuersa,vno modo respondet,non coarguatur.quare cùm generis nomen esset ambiguum,meritò Porphyrius, eius triplicem attulit significationem.

VIDETVR neq; genus neq; species simpliciter dici].Nemo contendat genus non esse cōmune siue prædicabile,quòd sit æquiuocum.non vult enim Porphyrius prædicabilia,vt talia sunt dici æquiuocè,sed vt paulò generalius accipiuntur.

Simpliciter,vocabulum in varias significationes ductum est.dicimus enim simpliciter id quod alicui essentialiter aut accidentariè conuenit, iuxta quam significationem Aristot.in octauo Physicorum scribit Deum non moueri simpliciter,id est,neque ex sua natura, neque alterius.dicimus etiam,vt distinguitur à particula secundum quid, vt Aethiopem album simpliciter non dicimus. dicitur & simpliciter incōsideratè indocteq;, vt tertio de generatione animaliū scribitur,Anaxagoram,& alios naturales simpliciter & inconsideratè loqui. quartò simpliciter separatur à multipliciter,qua significatione vsus est Porphyrius.quintò simpliciter,id est,secundum naturam,vt in primo Physicorū.Non sunt eadē nobis,& simpliciter nota.Sextò simpliciter,id est,vniuersaliter. Septimò,id est,propriè,vt generatio substantialis est simpliciter generatio. Octauò, vt distinguitur contra per accidens,vt in primo Physicorum scribitur nihil fieri simpliciter, ex eo quod non est.quandoq; simpliciter,id est,manifestè.decimò idem quod principaliter.negat enim Aristot.in secundo de anima nutritionem & augmētationem simpliciter esse ab igne. simpliciter etiam aliquando sumitur pro necessariò.

Congregatio multorum qui ab eodem patre originem duxerunt,vel qui in eodem loco geniti fuerunt,prima est generis significatio. ad quam quatuor desiderantur. Primum plurium multitudo, deinde ab eodem parente, vel in eodem loco natos esse oportet. Tertio principium illud aliqua consanguinitate,ita ut fratres,nepotes,cognati dicantur,deuincire & coalligare eos debet. quartò hoc principio,multitudo à quauis multitudine separanda est.

DICITVR & aliter rursus genus].Principiū aliud internum,aliud externum.Internum rem componit in ipsaq; facta remanet, vt lapides in domo:quæ principij significatio hîc nō desideratur.Principium externū aliud efficiens(finē non intelligo)aliud cōseruans.efficiens aliud vniuocum,aliud æquiuocum:vniuocum est eiusdem naturæ cum eo quod fit, vt pater filij: æquiuocum non est eiusdem speciei,vt sol,ranis est principium æquiuocum, quod quidem non est ad institutum.Conseruans est locus natiuitatis, qui vnà cum principio vniuoco secundam generis significationem reddit.

VEL AB EO qui genuit]. Pater principium est generationis, quoniam semen virile & sanguis maternus,Aristoteli primordia nostræ generationis sunt.

VEL AB EO in quo].Locus dicitur principium generationis,vel quia suggerit nutrimentum,vel quia quicquid generatur,in loco generatur, vel quia virtꝰ cælestis est in loco quæ agit in fœtum dum nascitur,vt si quis Saturno dominãte nascatur morietur, aut miserrimè viuet.ob quā caussam depingi solet Saturnus falcem manu tenens.

Hæc duo exempla de Pindaro insigni lyrico,& Platone Arist.præceptore,& Socratis discipulo referenda sunt ad principium generationis quod est locus: duo priora ad principium ab eo quod genuit.

Nemo contendat patriam eodem modo esse principium generationis, quo pater est. nam hæc dictio quemadmodum,non significat similitudinem in omnibus veram.

HAEC AVTEM videtur].Vult Porphyrius secundam generis acceptionem esse priorem natura,impositione,tempore,atque vsu frequentiorem prima. nam generis prima significatio à secunda deriuatur,vt collectio Romanorum à Romulo,tanquam à caussa & principio descendit.

Et si genus secundo modo naturaliter prius sit, genere primo modo, ordine tamen doctrinæ postponitur.nam quia similius sit generi Logico,æquum erat,vt propinquius tractaretur.

Species supponitur generi tanquam inferius superiori,secundum rectam lineam prædicamēti. ex quo patet non esse colligendum genus posse in vna specie consistere.

Tertia generis acceptio siue genus tertio modo acceptum, dictum est ab analogia desumpta à prioribus duobus. multitudinem enim specierū sub se continet,vt genus primum multos homines,& quemadmodum pater & mater filium gignunt,ita genus & differentia speciem cōstituunt.

Omisit significationes generis ad Grammaticos pertinentes, quòd cum genere Logico nihil commercij habeant. non enim secum statuit Porphyrius omnes generis acceptiones numerare, sed eas quæ ad rem faciunt.

Aristoteles

Ariſtoteles in vigeſimo octauo capite quinti Metaphyſicorum, in quatuor acceptiones genus diuidit. primò enim ſignificat continuam appellationem eorum qui ſunt ſecundum eandem ſpeciem, vt cùm dicimus quandiu hominum genus durabit. Secundò, eſt principium generationis. Tertiò, ſumitur pro materia, vel ſubiecto accidentis. Quartò, id quod primum tenet locum in definitione, genus dicitur.

GENVS ESSE quod de]. Quẽadmodum definitio albi eſſentialis eſt ad album, accidentalis ad niuem: ita definitio generis accidit animali, ad hanc verò intentionẽ ſiue ad hoc nomen ſecũdò impoſitũ genꝰ. eſſentialis eſt, genꝰ igitur definitur, vt reſpicit nomẽ rei cui cõpetit eſſe in pluribꝰ.

DE PLVRIBVS & differentibus ſpecie]. Illa ſpecie differunt, quæ differentiis eſſentialibus diſtinguuntur, vt homo differt ab equo, rationali differentia.

Quemadmodum maſſa ceræ quamlibet imaginem ſuſcipere poteſt, ſic genus aut quodlibet vniuerſale diuerſis accommodari poteſt. non eſt enim abſurdum entia incompleta, & quæ aliquid potentiæ includunt, eſſe in multis.

Prædicari in quid, apud Philoſophos multipliciter ſumitur. primo enim id prędicatur in quid, quod eſſentialiter alicui competit, qua ſignificatione vſus eſt Ariſtoteles in ſeptimo Topicorum, cùm inquit, quicquid ponitur in definitione, prædicari in quid. ſecũdò omne illud quod ad interrogationem factam, per quid de aliquo aptè reſpondetur, totamque ſubiecti eſſentiam ſignificat, dicitur prędicari in quid, quo pacto ſola definitio in quid prędicatur. Tertio prędicari eſt aptè reſponderi ad quæſitum quid, ita tamen vt perfectè totam naturam non ſignificet, qua acceptione vtitur Porphyrius in definitione generis.

Quæret aliquis, an genus ſignificet totam ſpeciei naturam. nam ſi ſignificat totam ſpeciei naturam, fruſtra adiungitur differentia. ſi partem, non videtur prædicari de parte. Scribit etiam Ariſtoteles in Topicis, eos peccare qui partem genus nominant. Reſpondendum eſt genus ſignificare totam naturam ſpeciei, nõ tamen perfectè, ſed vt eſt in potentia ad actum ſiue differentiam: vel ſignificare formã per modum totius. ſcriptũ eſt enim in ſeptimo Metaphyſicorũ, omnes definitionis partes formã ſignificare. vel reſpondendũ vniuerſale, quod in quid prædicatur de re, non eam ſignificare, vt eſt indiuidua, ſed vt eſt in ea natura ſimilis natura, quę eſt in quolibet particularium.

EORVM QVAE prædicantur]. Hìc diuidit vniuocam vocem in vniuerſalem & ſingularem, quemadmodum Ariſtoteles in quinto capite primi de interpretatione.

Indiuidua accidentis apte poſſunt prædicari, ſubſtantialia verò ineptè.

Indiuiduum quatuor dicitur modis, duo tamen enumerauit Porphyrius, ex impoſitione, & ex demonſtratione. nam vaga & ex hypotheſi, videntur poſſe prædicari de pluribus ex ſua natura.

Intelligendum eſt hæc pronomina, hic & hoc, non per ſe ſumpta prædicari, ſed quãdo adduntur terminis communibus, dicuntur prædicari de vno, quia ſunt indiuidua ex demonſtratione.

Prædicari de pluribus, eſt verè & affirmatiuè pluribus conuenire, prę̨ſidio verbi ſubſtantiui, vt Socrati, Platoni ſcientia conuenit.

Accidentia cõmuniter dicuntur, quę nata ſunt prædicari de pluribus vniuoce, vt albũ, nigrũ. Propriè alicui accidentia ſunt, ſingularia ſiue indiuidua quæ alicui ſubiecto inſunt, vt hęc albedo.

ANIMAL verò cùm ſit genus, de homine, equo, boue prædicatur, quæ differunt ſpecie]. Scribit Ariſtoteles in quarto Topicorum oportere eiuſdem generis plures eſſe ſpecies. quare falſa eſt horum opinio, qui dicunt genus re & ratione ſine aptitudine poſſe conſiſtere in vna ſpecie.

QVONIAM & ſi de pluribus prædicatur]. Hic locus neceſſariò intelligitur de ſpecie infima. nam ſubalterna vt talis eſt, non prædicatur, ſed tantum ſubiicitur.

Illa numero differunt, quæ proprietatibus quibuſdam differunt.

Porphyrius prius ſeparauit genus à proprio quàm à differentia, quia ordine exponit partes definitionis: per quarum ſecundam diſtinguitur genus à proprio, & per tertiam à differentia & accidente. Cæterùm Porphyrius videtur loqui de proprio ſpeciei infimæ.

Per prædicari in quid, Porphyrius diſtinxit genus à differentia & accidente, potiùs quàm per prædicari de pluribus differentibus ſpecie: quia hic modus prædicandi ſemper ſeparat genus ab omni differentia & accidente, non autem prædicari de pluribus differentibus ſpecie.

Per prædicari in quid, diſtinguitur proprium ab omni proprio, quemadmodum ab omni differentia: & quemadmodum per prædicari de ſpecie differentibus non differt ab omni differentia, ſic nec ab omni proprio, quoniam quędam ſunt propria generum ſubalternorum & ſupremorum. Reſpondendum eſt Porphyrium ſeparaſſe hac particula de pluribus ſpecie differẽtibus, à proprio quod recurrit cum ſpecie infima. *Obiectio.*

Quale aliud eſſentiam declarat, aliud eſt accidentarium. differentia igitur prædicatur in quale eſſentiale, accidens in quale accidentale, modo ſit de prædicamento qualitatis.

Differentia potius prædicatur in quale quàm in quid,quia ſit forma & qualitas ſpeciei . quẽadmodum enim forma corpori adiungitur,ita differentia generi.

Porphyrius tradens exemplum de differentia , quæ prædicatur de pluribus ſpecie differentibus,putat rationale cum homine non conuerti , ſed diis & hominibus conuenire , qui ſpecie differunt.quare Platonicus eſt qui cum Platone quædam animalia rationalia in cœlo,quędã in igne, & quædam in aëre & terra ponat.

VEL QVOMODO ſe habet vnumquodque]Prædicari quomodo ſe habet vnumquodq;, eſt prædicari ſecundum naturam prædicamenti,in quo accidens diuerſum à qualitate locatur, reſpõderique ad quæſitum quantum , ſi fuerit quantitas: ad quid agens , ſi fuerit actio , & ſic de cæteris.Ex quo manifeſtum eſt non omne prædicabile dici in quid vel in quale.

Quæritur,vtrum genus,ſpecies,differẽtia,proprium & accidens,poſſint dici vulgo prędicabilia : cuius quæſtionis aſſertoriã partem confirmabimus . Porphyrius cùm tractat has quinque voces,illas deffinit per modum prædicandi,& diſtinguit.atqui vnumquodque ſortitur ſuum nomen ab his per quæ definitur & diſtinguitur . actus enim eſt ratio cognoſcendi & diſtinguendi , vt habetur ex nono Metaphyſices . Rurſus Porphyrius in procœmio profitetur ſe præcipuè imitaturum Ariſt. ſed Ariſt. in Topicis vocat prædicata . Ad hæc Porphyrius docet hæc inter ſe conuenire & differre per modum prædicandi,igitur prædicabilia nominari poterunt.

Vocat genus notionem,quoniam vniuerſalia noſtris mentibus per apprehẽſionem affixa ſunt. quare genus, id eſt, animal quod apprehenditur eſſe genus,prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid.

Themiſtius in primo de anima ſic inquit.Genus aut mera notio eſt, ſine euidenti,ſoliditateq; aliqua,ſed ex tenui ſubobſcuraq; ſimilitudine ſingulariũ collecta , aut penitiſſime nihil:aut quàm ſingularia multò poſterius. Boeti⁹ ait ſpeciem eſſe tenuem ſimilitudinem ex indiuiduis collectã, genus verò ſimilitudinem ſpecierum . certè & ſeorſum illa pulcherrima conſideratio eſt , vtrum nomina generum ſpecierumque notiones, fabraque animi ſint:an naturę potius aliquæ in ſingularibus contentę.Sanè videntur illa nudis notionibus proxima , quæ tamen cùm ex ſingularium collatione ac ſimilitudine reponantur,in ſingularia & naturas euidentes ac ſolidas recidant.

Cicero libro primo de Oratore,genus finit hoc modo : Genus autem id eſt , quod ſui ſimilis communione quadam,ſpecie autem differentis,duas aut plures complectitur partes.

Genus,vt quibuſdam placet,eſt repræſentatio & exemplar materiæ compoſitæ,quæ partim eſt actus,partim potentia.

DE SPECIE.

Species autem & de vniuſcuiuſque forma dicitur:vnde dictum eſt,primùm quidem digna eſt ſpecies imperio. Dicitur autem ſpecies & id quod eſt ſub aſſignato genere.quo modo ſolemus dicere hominem quidem,ſpeciem animalis,cùm ſit genus animal: candorem autem coloris ſpeciem , ac triangulum figuræ . Quòd ſi etiam genus explicantes ſpeciei meminimus, & ſpeciem definientes,generis,dicentes, quòd de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur : & ſpeciem definientes,generis rurſum mentionem fecimus , dicentes , ſpecies eſt, id quod ſub aſſignato genere eſt , nemo vitio vertat . Noſſe verò oportet, quia & genus alicuius eſt genus , & ſpecies alicuius ſpecies , vtrunque vtriuſque : ac idcirco neceſſe eſſe in vtrorumque rationibus vtriſque vti . Explicant ergo & ſic ſpeciem, Species eſt quod ponitur ſub genere, & de quo genus in eo quod quid eſt prædicatur . itemque hoc modo , Species eſt quod de pluribus & differentibus numero in eo quod quid eſt prædicatur . Sed hæc quidem aſſignatio ſpecialiſſimæ eſt ſpeciei : aliæ verò ſunt non ſpecialiſſimarum. Planum autem erit quod dicitur hoc modo . In vnoquoque prædicamento, ſunt quædam generaliſſima , & rurſus alia ſpecialiſſima : & inter generaliſſima & ſpecialiſſima , ſunt alia , quæ genera & ſpecies dicuntur eadem.

Eſt autem

Eſt autem generaliſſimū quidem , ſupra quod nullum aliud ſit ſuperueniens genus:Specialiſſimum autem eſt,poſt quod non eſt alia inferior ſpecies. Inter generaliſſimum autem & ſpecialiſſimum occurrunt alia quæ & genera & ſpecies ſunt eadem, ad aliud quidem atque aliud ſumpta. Fiat autem in vno prædicamento manifeſtum id quod dicitur. Subſtantia eſt quoddam & ipſa genus, ſub hac autem eſt corpus:ſub corpore autem animatum,ſub quo animal:ſub animali verò rationale, ſub quo homo:ſub homine verò, Socrates, & Plato, & qui ſunt particulares homines. Cæterùm ſubſtantia genus quidem horum eſt generaliſſimū, & quod genus eſt ſolùm:homo verò ſpecies infima,& quod ſolùm ſpecies. corpus autē ſpecies quidem eſt ſubſtantiæ,genus verò animati: & animatum, ſpecies quidem eſt corporis,genus verò animalis. Præterea animal ſpecies quidem eſt animati,genus verò rationalis:ac rationale genus quidem mortalis,ſpecies verò animalis:& animal ſpecies quidem rationalis, genus verò hominis: homo autem genus quidem rationalis, non etiam genus eſt Socratis aut Platonis: & omne quod ante indiuidua proximè prædicatur,ſpecies erit ſolū, non etiā genus. Quemadmodum igitur ſubſtantia cū ſuprema ſit,eò quòd nihil ante eam ſit,genus eſt generaliſſimum:ſic etiam homo,cùm ſit ſpecies poſt quā non eſt alia ſpecies, neq; aliquid eorū quæ poſſunt diuidi,ſed ſolùm indiuidua(indiuiduum enim eſt Socrates & Plato & Alcibiades)ſpecies erit ſolùm,eaq; vltima ſpecies,&(ut dictū eſt)ſpecialiſſima. Quæ verò ſunt in medio poſita eorum quidem quæ ante ipſa ſunt,erunt ſpecies:eorū autem quæ poſt ipſa ſunt ſita,genera. Quamobrē hæc affectiones duas habent:eam,quæ eſt ad ſuperiora,qua ſpecies eorū eſſe dicuntur:& eam,quæ eſt ad poſteriora,qua genera eorum nominantur. Extrema verò affectionē vnam ſortita ſunt. Nam & generaliſſimum ad ea quidem quæ poſteriora ſunt habet habitudinem, cùm ſit genus omnium ſupremū: eam verò quæ eſt ad ſuperiora,non habet, cùm ſit ſupremum & primum principium,&, vt diximus,ſupra quod non eſt aliud poſitum genus. Species autem infima affectionem vnam ad ſuperiora,quorū eſt ſpecies,obtinet: alteram verò ad poſteriora non diuerſam habet,ſed etiam ſpecies indiuiduorū dicitur. Cæterùm ſpecies quidem dicitur indiuiduorum, velut ea continens:ac ſpecies rurſus ſuperiorū,velut quæ ab eis continetur. Definiunt igitur generaliſſimum genus hoc modo,quod cùm genus ſit,nō eſt ſpecies. Et rurſus, ſupra quod non eſt aliud ſuperius genus. Infimā verò ſpeciem, quæ cū ſit ſpecies non eſt genus. Et quæ cū ſit ſpecies,in ſpecies nequit diuidi. Et quæ de pluribus iiſq; differentibus numero in eo quod quid eſt prædicatur. Iam verò quæ inter extrema media iacent:ſubalterna eadem omnia vocāt genera & ſpecies: & vnumquodque eorum ſpeciem eſſe & genus ponunt:cum alio tamen atq; alio comparatum. ea enim quæ ſunt ante ſpecialiſſima vſque ad generaliſſimum aſcendentia,& genera dicuntur,& ſpecies ſubalternæ, Vt Agamemnon, Atrides, & Pelopides, & Tantalides, & vltimum Iouis.

Sed in genealogiis quidem plerunq; ad vnum reducimus principiũ,verbi gratia,ad Iouem.in generibus verò & ſpeciebus ſecus habet . Neque enim eſt commune vnum genus omnium ens : nec omnia eiuſdem generis ſunt ſecundum vnũ poſtremũ genus,quẽadmodum ait Ariſtoteles. Verùm poſita ſint(quẽadmodũ in prædicamẽtis)prima decẽ genera,quaſi prima decẽ principia. Hæc ſi quis omnia,entia vocet,ambiguè(inquit)& nõ eadem ratione & definitiõe nũcupabit.ſi enim vnũ eſſet cõmune omniũ genus ens, vniuocè omnia entia dicerentur. Cùm verò decem ſint prima,cõmunio ſecundum nomen eſt ſolùm,non etiam ſecundum definitionem , quæ iuxta nomen afferri debet. Decem igitur generaliſſima quidẽ ſunt, ſpecialiſſima verò in numero quidem quodam ſunt,non tamen infinito.indiuidua autẽ quæ ſunt poſt ſpecialiſſima,infinita ſunt. Quapropter vſq; ad ſpecialiſſima à generaliſſimis deſcendentes,iubebat Plato quieſcere,deſcendere autẽ per media diuidentes ſpecificis differẽtiis:infinita verò(inquit)omittenda ſunt. Nulla enim eorum,inquit,diſciplina poteſt fieri . Qui igitur deſcẽdunt ad infima, neceſſe eſt diuidentes per multitudinem ire:qui verò aſcendunt ad ſumma, neceſſe eſt colligere multitudinẽ in vnum . colligit enim multa in vnam naturã ſpecies,atq; etiã magis genus. Particularia verò resq́; ſingulæ, ecõtrariò ſemper in multitudinem diuidunt id quod vnum eſt. participatione enim ſpeciei multi homines,vnus:particularibus autẽ & ſingularibus vnus & cõmunis,plures. Diuidit enim ſemper ſingulare , colligit autem & vnam conſtituit naturam cõmune. Explicatum igitur cùm ſit à nobis quid genus,idq́; ſolere eſſe vnum:quidq́; ſpecies,quæ multæ ſunt (ſemper enim in plures ſpecies diuiditur genus)id addere fuerit operæpreciũ,genus quidem ſemper de ſpecie dici,& omnia ſuperiora de inferioribus : ſpeciẽ autẽ neq; de proximo ſibi genere,neq; de ſuperioribus.neq; enim hęc reciprocantur. Oportet enĩ aut paria de paribus dici, vt hinniens de equo:aut maiora de minoribus , vt animal de homine : minora verò de maioribus non item. Neq; enim vt hominem animal, ſic etiã animal hominẽ eſſe dixeris. De quibus autẽ ſpecies dicitur , de iis neceſſariò & ſpeciei genus prædicabitur,& generis genus,vſq; ad primũ. Si enim verum eſt, Socratẽ hominẽ eſſe dicere,atq; hominẽ animal,& animal ſubſtantiã, verum eſt & Socratẽ animal eſſe dicere,atq; ſubſtantiã. Cùm igitur ſemper ſuperiora de inferioribus dicantur,ſpecies de indiuiduo dicetur,genus autẽ & de ſpecie , & de indiuiduo:generaliſſimũ verò,de genere vel generibus, ſi plura ſint media & ſubalterna,& de ſpecie,& de indiuiduo . Generaliſſimũ enim de omnibus ſub ſe poſitis generibus,& ſpeciebus,& indiuiduis enunciatur . Genus autẽ quod ante ſpecialiſſimũ eſt , de omnibus ſpecialiſſimis & indiuiduis: ſola verò ſpecies ,de omnibus indiuiduis : indiuiduũ autẽ,de vno ſolo particulari : indiuiduum autem dicitur Socrates,& hic candor,& hic veniens, Sophroniſci filius,ſi ſolus ſit ei Socrates filius. indiuidua ergo dicuntur huiuſmodi,quoniam ex proprietatibus conſiſtit vnumquodque eorum:qua-

Plato in Sophiſta.

rum

rum collectio nunquã in alio eadem erit. Socratis enim proprietates nunquam in alio quopiam homine erunt particulari eædem: at verò hominis proprietates (dico autem eius qui eſt communis) erunt eędem in pluribus. Quæ autem Socrati competunt, nũquam in alio eædem eſſe poſſunt. Itaq; indiuiduum à ſpecie, ſpecies autem à genere cõtinetur. Totum enim quiddam eſt genus, nam genus totum ſolùm eſt, indiuiduum verò ſolùm pars: Species autem, & totum, & pars. ac totùm quidem, qua ratione cum indiuiduo cõparatur: pars, vt cum genere. ſed pars quidem alterius, totum autẽ non alterius, ſed in aliis: in partibus enim totum conſiſtit. Igitur de genere quidem & ſpecie, & quid ſit generaliſſimum genus, & quæ ſpecialiſſima ſpecies, & quæ genera eadem, & ſpecies ſint: quæ etiam indiuidua, & quot modis genus & ſpecies dicantur, diximus.

Abſoluta hactenus generis explicatione, etſi ſecundarium locum differentiæ ſortiri debent: tamen quia genus ac ſpecies in iis ſunt, quæ cum aliquo cõferuntur, ſimulque & cohærent, & intelliguntur: proptereà ſpeciem differentiis antepoſuit, non naturæ id quidem ordine, verùm pręceptionis conſequio: quódque in genere definiẽdo ſpeciei quoq; meminimus, cùm diceremus eſſe genus, quod de multis enunciatur, cùm quid ea ſint quæritur. Quamobrem ne diu auditoris animus ſuſpenſus teneretur, harumque eſſet rerum imperitus: ſpeciei eſt continuò tractationem exorſus. Verumenimuerò ſolita hoc etiã tẽpore regula vtens, principio ſpeciei ſignificata omnia perſequitur: tumque demum exponit, quo de ſit verba facturus. Nam & aliæ ſunt ſpeciei ſignificationes permultæ, quas ſingulatim non inſtituit docere: eaſque modò interim tractat, quæ ad diligentem differendi rationem accommodantur. Ait igitur duplicem eſſe ſpeciei ſignificationem. Nam ſpecies rei cuiuſque formam pulchritudinemque ſignificat, vnde formoſos atque deformes appellamus: & ex quo illud,

Quare Porphyrius ſpeciem prius quàm differentiã, quæ prior eſt conſtituta, explicarit.

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

Species in primis digna quidem eſt quæ imperet,

Carmen Iambicum Trimetrum ex Euripidis Phœniſſis.

tritum eſt ſermone prouerbium. Vocatur etiam id ſpecies, quod ſubeſt generi, aut quod de multis, iiſque numero differentibus, in rei natura quærenda dicitur. Quanquam ſpeciei vltimæ, quæque tantummodo ſpecies eſt, hæc propria definitio eſt, aliæ formarum etiam non infimarum. tum aliter quoque ſpecies definitur eſſe, quæ de pluribus, numero autem differentibus, cùm quid ea ſint quæritur, enunciatur. Sed quoniam harum vocum ſignificationes (ſpeciei inquam vltimæ ac non vltimæ) obſcuræ, nec communi hominum vſu tritæ ſunt, eas deinceps explicat, ſumpta Categoriarum omnium longè pulcherrima atque nobiliſſima, eſſentia, quæ & per ſeſe cohæret, & genus eſt ſummum. Etenim reliquæ Categoriæ omnes eius ſunt accidentia. Nanque ſi aliæ omnes in ipſa hærent eſſentia, atque ſpectantur, ac conſtare ſi nulla vi naturæ contineantur, non poſſunt: perſpicuum eſt eſſentiã vi ſua cohærere: reliquas verò Categorias nouem, eius eſſe accidentia. Itaque eſſentiam ſumit, ex eaque huiuſmodi quaſi ſpiram conſerit. Eſſentia quædã eſt corpus, quædam expers corporis: ac corpus animatum aliud eſt, aliud inanimum. Animatum aliud animal, aliud planta, aliud naturę vtriuſque particeps: & animal aliud rationis particeps, aliud rationis expers: itemq; animal rationis particeps aliud angelus eſt, aliud homo, atque aliud dęmõ. Horum igitur omnium primum genus ſubſtantia eſt, homo verò ſpecies vltima: quæ autem interiecta ſunt & in medio locata, eadem & genera vocantur & ſpecies. ac ſuperiorum quidem ſpecies & formæ: poſteriorum genera dictitantur. In vniuerſum autem ſpecies omnes, & infimas & medias poſitaſque penè ſubcenturiatim, deſcriptio prima complectitur: ea inquam quæ ſpeciem eſſe dicit, quæ ſub genere collocatur, aut de qua genus in rei natura quærendo inueſtiganda dicitur. Vtraque enim deſcriptio, ſubiecto cum altera eadem eſt, ſolaque hæ relatione diſcrepant. Nam & aliæ multæ res ſunt, quæ cùm ſubiecto concordent, affectione ſola differunt, vt aſcenſus, atque deſcenſus. Nam hiſce rebus idem ſubiicitur, ſcala ſcilicet. Porrò ſola collatione ab aſcẽſu, deſcenſus diſtat: quòd deſcenſus cùm à loco ſuperiore ad inferiorem deuoluatur, decliue quoddam iter eſt: aſcenſus verò cùm ab inferioribus ad ſuperiora contendat, accliue. Atque etiam ſemen & fructus eadem ſubiecto ſunt, ratione autem atque affectione ſola diſſentiunt. Vt ergo in his ſe habet, ſic etiam in duplici formæ deſcriptione. Hoc enim inter ſe differunt: quòd altera à genere orditur, atque in ſpeciem deſinit: à ſpecie verò altera incipit, atque in genere finitur. Quamobrem ſola hæ affectione diſſident, ſuntque re


δαίμονας Cic. in lib. de uniuerſitate Lareis ex Timæo Platonis conuertit.

ſubiecta

ſubiecta eędem. Præterea & hic rurſum à ſpeciei ſignificatione notiori auſpicatur, quòd illa affinitate quadam cum ea quæ eſt apud Philoſophos coniungatur. Nam quemadmodum ſpecies, cùm pro forma atq; pulchritudine vſurpatur, partes complectitur vniuerſas, ſic etiam Philoſophorum ſpecies res ſingulas comprehendit.

SPECIES AVTEM & de vniuſcuiuſque forma dicitur]. Quemadmodum cùm vis & natura generis explicaretur, prius quàm quid tãdem, aut cuiuſmodi eſſet genus doceret, eius homonymiam diſtinxit, primumque quam generis eſſet reiecturus ſignificationem oſtendit: & quo generis vti decreuiſſet ſignificato aperuit: Sic hoc quoq; loco ambiguitatem in primis diſcutit, tum quæ vis & natura ſpeciei ſit oſtendit, & quæ eius ſignificatio.

DICITVR AVTEM ſpecies &c]. Explicatis ſpeciei ſignificationibus, eaque quam inſtituit tradere: nunc velut exemplo propoſitam ſpeciei ſignificationem exponit, & qua ratione ſpecies ſubſit generi docet. Triquetrum enim atque figurã accipit: figuram quidem vt genus, triquetrum verò vt ſpeciem. Exagitant autem nonnulli atque reprehendunt Porphyrium, quaſi propriè minus trianguli genus figuram eſſe dixerit. Nam in iis, inquiunt, in quibus prius quippiam poſteriuſque reperitur, quod communi ratione dicitur, nõ eſt genus. At triangulus, quadrato prior eſt. Nanque illud ex tribus, hoc quatuor ex lineis conſtituitur: ternio autem quaternario prior eſt. Itemque hoc modo, Quadratum omne in triangulos duos ex rectis lateribus cõſtantes diducitur. Nam hæc quadrati A.B.C.D. cõiunctio media linea A,D, in duos triangulos diſcerpitur, A.B.C. & A.D.C. Quocirca ſublato quadrato triangulus non tollitur: at verò deleto triangulo funditus quadratum extinguitur. Quamobrem triangulus quadrato naturæ ordine prior eſt. Quod idem in cæteris omnibus figuris quæ ex rectis lineis conſtant contingit: vt in pentagono, verbi cauſſa, & hexagono, cæteriſque generis eiuſdem. Nam harũ vnaquæque in triangulos diuiditur. Si igitur prius eſt triquetrum, quadratum autem & cætera ſunt poſteriora: quod ergo in iis ratione communi dicitur (figuram dico) eorum non eſt genus. Relinquitur itaque vt Porphyrius impropriè triquetrũ figuræ eſſe ſpeciem dixiſſe videatur. Atque hoc quidem loco interpretes omnes hæſerunt, quodque dicerent non habuerunt, ac eum aiunt exempli gratia inuſitatius figuram trianguli ſpeciem conſtituiſſe. Nos autem quò quæſtionem eam omnem dirimamus, dicimus hoc modo, Si re vera quadrati elemẽta atque initia eſſent trianguli, adeo vt non aliunde quadratum quàm ex triangulis poſſit conflari, quod à Platone in Timæo traditum fuiſſe videtur, cùm figuras omnes rectis præditas lineis in triangulos ſimpliciſſima tanquam elementa reſoluit, verè id quidem diceretur, priorque eſſet figuris triangulus, nec eius genus figura eſſet, ſi modò verum eſt in quibus prius aliquid poſteriuſque deprehenditur, quod ratione communi dicitur non eſſe genus. Nũc verò neceſſe non eſt, vt ex eo quòd prius trangulus conſtiterit, quadratum protinus extruatur: tumq; horum coniunctione excitetur. Nanque Euclides ſexto & quadrageſimo theoremate quadratum docet poſſe ſine triangulo è rectis lineis excitari. Nihil enim prohibet quominus, vt non ſit triangulus, ex rectis quatuor coniunctis lineis quadratum deſcribamus. Quocirca verum non eſt, ſublato triãgulo quadratum tolli. Quòd ſi quia adtexta diametro quadratũ in duos triangulos diſtrahimus, idcirco prius id eſſe inquiunt, ac velut elementũ, aut quadrati partẽ triangulum: quoniã quadratũ contrariis inter ſe lateribus bifariàm ſectis atque cõiunctis in duo quæ parte altera lõgiora ſunt diuelli poteſt, vt ab A. ad B. poſſuntq; duo effici parte altera lõgiora interualla. C. & D. dicãt etiã quæ altera ſunt parte lõgiora, triãgulo priora eſſe. atque etiã cõtrarium quadratũ prius eſſe eo quod altera eſt parte lõgius, ſi parte altera lõgius quod latus vnũ duplex habet, bifariàm in quadrata duo diuiſerimus. Quinetiã ſiquis mediã in orbe ac ſphæra lineã deſcripſerit, ea duas in partes orbẽ mediũ diuidet, A & B. atque perſpicuũ eſt vtrãque circuli medietatẽ figurã eſſe quæ ex lineę ambitu qui mediũ orbem cõplectitur ac recta diametro coaleſcit. Quamobrẽ efficietur ſimplicẽ circulorum figuram ex mixtis ſemicirculis conſtare, ac ſimplici dico circulo mixtum futurum naturæ ordine priorem. Vt ergo in his mens noſtra hanc diuiſionem efficit, nec idcirco eſt neceſſe quadrato priora eſſe quæ ſunt parte altera lõgiora: quoniam ea etiam in quadrata duo diduci poſſunt, ſi latus alterum altero bis maius fuerit. Igitur ſi rurſum mixtæ figuræ quæ ex rectis lineis & ambitibus conſtituuntur ſunt orbe priores, ita ſanè quadratum media linea in duos triangulos diuidi poteſt, aut propterea ex triangulis coaleſcere ipſum eſt neceſſe, prioreſque eo eſſe naturæ ordine triangulos. Scitè ergo Porphyrius trianguli genus figuram eſſe dixit.



Plato in Timæo.

διάμετρον Macrobius priore in Somnium Scipionis Commentario, diametron dixit. Eſt autem diametros linea quæ ducta eſt à ſummo ad imum per centrum

QVOD SI ETIAM genus explicantes ſpeciei meminimus,& ſpeciẽ definientes] Re enim vera hæc dicens Porphyrius,reciproca demonſtratione vſum ſe eſſe cenſet. Reciproca autem demonſtratio à Philoſophis abiici repudiarique ſolet,vt quæ eadem & priora & poſteriora eſſe efficiat,commutetque enunciationum concluſionumque vices ac diſpoſitionem. Nã ea quod prius eſt poſterius,viciſſimque quod poſterius eſt prius,atq; adeo iiſdem lucidiora eadem atque obſcuriora reddit:vt ſi quis mihi dixerit animum eſſe immortalem , exactaque cauſſa aſſentiar , dicam, quod ſemper mouetur,id æternum eſt:quod autem motum affert alicui , quodque ipſum agitatur aliunde quando finem habet motus,viuendi quoque finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſeipſum mouet,quia nunquam deſeritur à ſe,nunquam ne moueri quidem deſinit. Quinetiam cæteris quæ mouentur,hic fons,hoc principium eſt mouendi,Principij autem nulla eſt origo. Nam ex principio oriũtur omnia,ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt.nec enim eſſet principium, quòd gigneretur aliunde. Quòd ſi nunquam oritur,ne occidit quidem vnquam.Nam principium extinctum,nec ipſum ab alio renaſcetur,nec à ſe aliud creabit:ſiquidem neceſſe eſt à principio oriri omnia.Ita fit,vt motus principium ex eo ſit,quod ipſum à ſe mouetur . Id autẽ nec naſci poteſt, nec mori:vel concidat oportet cælum:omniſque natura conſiſtat neceſſe eſt,nec vim vllam nanciſcatur,qua primo impulſa moueatur . Cùm pateat igitur æternum id eſſe, quod ſeipſum moueat, quis eſt qui hanc naturam animis eſſe tributam neget?Inanimum eſt enim omne quod pulſu agitatur externo:quod autem eſt animatum,id motu cietur interiore & ſuo.Nam hæc eſt natura animi atque vis. Quæ ſi eſt vna ex omnibus quæ ſeipſam ſemper moueat,neque nata certe eſt , & æterna eſt. Quòd ſi quis roget vnde intelligatur animum à ſe moueri,retro actis argumentationis vicibus hoc modo dicam,Animus æternus eſt, quod autem eſt æternum ſemper mouetur , quod ſemper mouetur,id motu agitatur interiore & ſuo.Huiuſcemodi ergo demonſtratio reciproca circularisq; appellatur:ſiquidem animũ immortalem eſſe probaturus,quod à ſeipſo mouetur primũ accepi,ex eoque immortale concluſi.itemque demonſtrare volens,animum à ſeipſo moueri,conuerſo ordine immortale primo loco ſumpſi,indeque immortale effeci.Ergo mutua demonſtratio eſt,quæ enũciationes in concluſiones,viciſſimque concluſiones in enunciationes commutat: quò fit vt iure optimo à Philoſophis repudietur. Omnis enim demonſtratio apertas enunciationes & quaſi confeſſas ſumit:concluſionem autem quę obſcura atque inuoluta eſt euoluit atque explicat, ipſiſque enunciationibus illuſtrat . Quamobrem meritò reprehenditur quæ horum collocationẽ peruertit,ac concluſionem quæ prius vt obſcura ſumebatur quaſi apertam & enucleatam enunciationum vice accipit,atque enunciationem quam prius vt confeſſam aſſumebamus,in obſcurã concluſionem inflectit.Rurſum ſi docere volentes mulierem quampiam lac habere, peperiſſe eam dixerimus,quæ autem peperit lac habet,hæc igitur mulier lac habet: rurſumque oſtenſuri peperiſſe eam dixerimus,mulier hæc lac habet,quæ lac habet peperit , hæc igitur mulier peperit , hoc loco eadem iiſdẽ priora & poſteriora,apertiora atque obſcuriora ſumpſimus.Prius enim & apertũ ſumebamus,peperiſſe.Poſterius & obſcurũ lac habere,viciſſimq; poſterius ſũpſimus apertũ & prius, lac habere:obſcurum verò ac poſterius peperiſſe. Quocirca in hac demonſtratione eadem iiſdem ſumuntur & priora & poſteriora,enodatiora & difficiliora.Omnis enim demonſtratio vel ex obſcuro dilucidum,vel ex dilucido atque euoluto obſcurum efficit : perſpicuumque eſt eam modò verè demonſtrationem eſſe quæ obſcurum ex aperto probat.Aliæ igitur tres vitioſæ , ipſaque demonſtrationis appellatione indignæ ſunt.Fieri ſiquidem nõ poteſt,vt ex obſcuro apertum, vt nec obſcurum ex obſcuro,proficiſcatur.quinetiam ne quod apertum quidem eſt probationem deſiderat,qua ex aperto alio deducatur.Multò ergo eſt ineptius dicere ex obſcuris aperta probari . Vna itaque eſt & ſola propria demonſtratio,quæ ex aperto atque dilucido obſcurum exponit, quò fit vt meritò circularis demonſtratio conuerſioque explodatur:cùm præſertim aperta & prima, obſcura & poſteriora eſſe faciat,itemque obſcura & poſteriora aperta atque priora. Cùm igitur animaduerteret Porphyrius reciproca ſe ac circulari vſum demõſtratione eſſe (nã & in generis definitione ſpeciem,& in ſpeciei explicatione genus accepit),quod poterat quiſpiã reprehendere,ſuggillationi occultæ anteuertit . Dixit enim genus ſpeciei genus eſſe , & ſpeciem generis ſpeciem. Ideoque vtendum fuiſſe neceſſariò vtroque nomine , cùm vis atque natura vtriuſque definiendo aperiretur à nobis. Quæ enim in eorũ numerum cadunt, quæ cum aliquo conferuntur : ſimul & cohærent & intelliguntur.Nam genus alicuius genus eſt,id eſt ſpeciei,& ſpecies alicuius ſpecies, nempe generis,fierique non poteſt vt horum alterum ſine altero intelligatur. Quamobrem neceſſe eſt qui de alterutro diſſerat,alterius meminiſſe.Nam qui eorum aliquid quæ in iis ſunt quę cum aliquo conferuntur ignorat,reliquum intelligere omnino non poteſt.

Animum eſſe immortalem hac ratione Plato in Phædro docet.

Reciproca demonſtratio.

προτάσεις ἀπὸ τοῦ προτείνεσθαι duci Ammonius in ſuo in lib. Ariſtotelis de interpretatione Commentario docet.

SPECIES EST quod ſub genere ponitur,& de quo genus in eo quod] . Duas ſpeciei deſcriptiones tradit,quæ ſubiecto quidẽ eodem ſunt. vtraque enim de multis dicitur, ſed affectione differunt.

differunt. Quemadmodum aſcenſus atque deſcenſus cùm ſubiecto ſint eadem, ſola relatione diſcrepant. Nam quæ fit à loco ſuperiore progreſſio, deſcẽſus appellatur: quæ verò ab inferiore, aſcenſus. Ita & hoc loco collationes duæ exiſtunt ſpeciei, vna cum genere, qua ratione generi ſubiecta eſt ſpecies: & generis cum ſpecie, altera qua ſpeciem genus cõtinet & complectitur. Similis autem eſt generis ad ſpeciem affectio, deſcenſui: atque ſpeciei ad genus, aſcenſui. Deinceps autem & perfectam deſcriptionem conſtituit, quæ eſt à vocum diuiſione ducta: ſpeciem eſſe inquiens, quæ de multis, ſpecie autem differentibus in rei natura quærenda dicitur. Sed exiſtit quæſtio, cur in ſpecie explicanda deſcriptione ſit vſus Porphyrius. Loci enim cauſſæ, quam antea in generis definitione reddidimus, hîc nihil relinquitur: ſpecies enim genus habet. Quare & accuratiſſima, & vſu maximè trita reddenda à nobis ratio eſt: nimirum definitiones, rerum definitiones eſſe, quæ vim & earum naturam explicant. At verò genera ac formæ cæteraque generis eiuſdem res non ſunt, nec diſtinctam obtinent naturam, ideoque non in vnam aliquam Categoriam cadunt, ſed in omnibus conſyderantur. Nam & in eſſentia, & in qualitate, & in quantitate, & reliquis Categoriis, genera, formæ, & differentiæ verſantur. Quocirca res non ſunt, ſed affectiones, quæ quid ſint res exponũt. Quoniam igitur definitiones, vt dixi, rebus tribuuntur: hæ autem voces res non ſunt, idcirco iure earum reddi definitiones non poſſunt. Quamobrem aliam ſpeciei deſcriptionem tradit, quæ aſſimilis ei eſt, quæ paulò antè à genere eſt explicata.

SED HAEC QVIDEM aſſignatio, ſpecialiſſimæ eſt ſpeciei, aliæ verò]. Hæc poſterior, inquit, ſpeciei deſcriptio formis non conuenit omnibus, ſed vltimis ſolùm, quæque tantummodo ſpecies ſunt, non etiam genera. Cæterũ vt quid ſpecies ſint vltimæ intelligamus, huiuſcemodi vtitur diuiſione. Subſtantia alia corpus eſt, alia ſine corpore: & corpus animatum aliud eſt, atq; aliud inanimum: animatum aliud animal eſt, aliud ex planta atque animali conſertum, aliud plãta. Nam tribus hiſce facultatibus plantæ inſtructæ ſunt, nutriente, augente, & generante. At animal præter has ſentiendi quoque vim, atque progreſſionis habet, quę ab vno loco migrat ad aliũ. Itaque quod eſt ex animante & planta compoſitum, inter vtrunque iacet. Siquidem præter tres illas facultates ſenſum etiam tactus obtinet, non tamen à loco ad locum tendit, cuiuſmodi ſunt oſtrea & ſpongię. Nam hæc ſaxis adhærent, & re quapiam illis accedente contraria contrahuntur, amica & familiari, dilatantur. Rurſum verò animal aliud eſt rationis particeps, aliud rationis expers: itemque rationis particeps, aliud Deus, aliud homo. Præterea homo, alius eſt Socrates, alius Plato, & qui ad ſingulas hominis partes pertinent, de quibus nulla eſt apud Philoſophos oratio, quemadmodum ſæpè diximus. In hac igitur partitione primũ locum ſubſtantia obtinet, ſecundum homo, interiecta verò ſunt que ὑπάλληλα nominantur, quęque alia atque alia ratione & genera ſunt & ſpecies. Ac caput quidem generis eſſentia vocatur: homo verò, infima ſpecies: reliqua autem omnia eadem & genera ſunt & ſpecies, ſi cum alio atque alio conferantur. Etenim corpus naturæ eſt ſpecies, atque eius quod animum habet genus: & animatum ſpecies corporis eſt, genus animantis. Rurſum animans ſpecies animati, genus hominum. At verò homo animantis eſt ille quidem ſpecies, ſed indiuiduorum, inquit, non eſt genus: non enim de forma differentibus, ſed numero dicitur, vt de Socrate, & Alcibiade. Non eſt id igitur genus. Quinetiam ne indiuiduum quidem eſſe poteſt, quoniam indiuidua ſingula complectitur. Relinquitur ergo vt homo ſit ſpecies vltima. Itaque Porphyrius ſecundam ſpeciei deſcriptionem non cuiuis ſpeciei competere ait (non enim animanti atque animato congruit) ſed ſpeciei vltimæ, quæque tantummodo ſpecies eſt, non etiam genus: vt hominis, & equi, & canis, propriam eſſe.

FIAT AVTEM id in vno aliquo]. Nam in quaque Categoria genera & formæ nituntur. Verùm eſſentia primum genus eſt illa quidem, quæ corpus complectitur: & corpus animatũ (prætermiſſo enim eo quod caret corpore, hanc diuiſionis partem ſecutus eſt, quia quæ ſunt ſubiecta ſenſibus nobis notiora ſunt) & animatum, animal: animal, rationis particeps: rationis particeps, hominem. Cæterum eſſentia genus eſt ſummum, atque adeò genus tantum: genus enim nullum eſt natura antiquius: homo verò ſpecies vltima, quæque ad generis non poteſt naturam aſſurgere. in rebus enim vniuerſis nihil homine poſterius reperitur. At verò corpus & genus eſt & ſpecies: verũ naturæ ſpecies, atque animati genus. Animatum autem ſpecies eſt corporis, & animalis genus. Animal enim id omne vocatur quod animum habet, quodque eſt ſenſus particeps. Porrò animatum eſt, quod nutritur, augetur, ac res ſibi ſimiles procreat. Igitur cùm plantis hæc etiam vis adſit, animatæ illæ quidem ſunt, ſed non animantia. Oſtrea verò ac ſpongiæ & animata, & ſenſus capacia ſunt. Quippè cùm contrarium quippiam accedit, ſeſe ea in gyrum contrahunt: cùm verò recedit, lætantur. Præterea quadam ex parte plãtis quòd radicibus nitantur, accedunt: alia verò ratione animantium, quòd augeantur cibumque capiant, ſimilia ea ſunt.

PRAETEREA ANIMAL ſpecies quidem eſt animati, genus verò rationalis: & rationale genus

genus quidem eſt mortalis,ſpecies verò animalis:& animal ſpecies quidem eſt rationalis,genus verò hominis:& homo,genus quidem rationalis,non etiam genus eſt Socratis,aut Platonis, & id omne quod ante indiuidua proximè prædicatur]. Proximè dixit,id eſt,continenter,& ſine medio. Namque animal,ante indiuidua illud quidem collocatur:ſed non proximè,ac citra medium: verùm propter hominem interiectum.Homo igitur proximè ſingularia præcedit,atque adeo ſpecies eſt tantum.Itaque duæ ex his comparationes affectioneſque ducuntur.At verò eſſentia rationem cum inferioribus vnam habet:cum prioribus verò nullam:ſupremum cùm ſit primumq́ue principium,& quo genus ſit antiquius nullum.Præterea ſpecies relationem vnam qua ad ſuperiora affecta eſt,obtinet:qua verò cum inferioribus comparetur nequaquam:quia ſpecie nihil eſt poſterius. quæ verò intermedia ſunt & interiecta,collationes duas obtinent:vnam , qua ad ſuperiora affecta ſunt,ex qua eorum formæ ſpecieſque appellantur:alteram,qua ad inferiora, ex qua eorum genera nominantur . Summa autem & extrema vno modo ſolùm comparantur : genus ſcilicet primum, atque ſpecies vltima.

SED ETIAM ſpecies indiuiduorum dicitur].Nanque infima ſpecies rationem quandam habet,qua cum indiuiduis confertur.Cæterùm non eandem rationem quæ ſpeciem vltimam antecedunt ſortiuntur.Nam homo Socratis & Platonis genus non dicitur,verùm ſpecies:propterea quòd inſectilia complectitur atque continet.

DEFINIVNT IGITVR generaliſſimum genus hoc modo]. Poſtquam Porphyrius genus primum,ac ſpeciem vltimam,& quæ intermedia ſunt,poſitaq́ue penè ſubcenturiatim,explicauit:deinceps ea deſcribit,docetq́ue quæ vis & natura ſummi ſit generis , nempe ſummum genus eſſe quod cùm genus ſit,non eſt ſpecies:item,quo ſuperius eſſe poſſit genus nullum . Speciem verò infimam hoc modo deſcribit,Quæ ſic ſpecies eſt,vt non etiam genus ſit.tum ita, ſpeciem eſſe, quam in ſpecies nequeas diſſoluere:atque etiam quæ inter extrema alterum ſub altero pene iacēt exponit,quæ genera ac ſpecies & vocant & cenſent,cum alio atque alio compoſita & comparata. Atque de his quidem diſſerere inſtituit,& facilitatis gratia exemplum ab ortus & familiarum deſcriptione ſumit.Nam vt in iis,inquit,quoddam quaſi ortus principium Iupiter eſſe ſolet:non autem etiam filius,Oreſtes verò,ſi ita res ferat,filius modò eſſe poteſt, ac Agamēnon Atrei quidem filius,Oreſtis autem pater:& Atreus pater Agamemnonis,filius Pelopis:Pelops autem filius Tantali:ſic in Philoſophorum generibus & formis ſe habet.Quædam enim genera ſunt tantũ,vt ſubſtantia:quædam ſpecies ſolum,vt homo.

SED IN genealogiis quidem plerumque ad vnum reducimus principium, verbi gratia, ad Iouem].Potuit quæſtionem hoc exemplum quandam inuehere,quam Porphyrius ipſe diluit.Potuit enim quiſpiam exiſtimare,quemadmodum in generationum ordinibus ortuum nexus ad vnum aliquem gentis authorem,exempli gratia ad Iouem , quem patrem hominumque deumq́ue fabulæ vocant,referri conſueuerunt,ſic ſe hoc loco habere,vt Categoriæ omnes ad vnum primũ genus caputq́ue referantur ad id quod eſt.Nam & eſſentia,& qualitas , itemq́ue reliquæ Categoriæ eius appellatione concluduntur.Quod ſi ita eſt,decem prima genera,quaſi decem initia & capita rerum non erunt:communeq́ue genus omnium erit id quod eſt. Hoc igitur indicans Philoſophus,genus non eſſe Categoriarum id quod eſt,dicit.Cæterùm non eſſe id genus Categoriarũ ſic oſtendemus.Quidquid diuiditur,vel vt genus in formas ſecatur,vt cùm dicimus , animal aliud equum eſſe,aliud canem,aliud hominem:vel vt totum in partes,idque duobus fit modis . Nam aut in partes quæ toti ſint aſſimiles,aut quæ diſſimiles diuellitur.Atque in ſimiles quidem venæ, arteriæ,oſſa,& carnes diſtrahuntur. Nam hæc , ſi ſecentur , partes & toti , & inter ſe ſimiles ſortiuntur . In diſſimiles autem,vt cùm corpus in caput , manus , & pedes diſtribuimus . Vel vt vox ambigua in ſignificationes varias:vt cùm canem terrenum alium eſſe,alium marinum, alium cæleſtē dicimus.Si igitur oſtenſum fuerit,id quod eſt neque vt genus in formas,neque vt in partes totum dirimi,relinquitur,vt velut obſcura vox atque ambigua in varia ſignificata diſcerpatur.Non diuidi autem id vt in formas tribui genus conſueuit,hinc perſpici poteſt. Nam genus in ſpecies ſectũ æquè in formis omnibus ineſt:nec prius in formis,& poſterius , quod ad generis communionem attinet,verſatur . Siquidem homo equo non eſt magis animal,& prior.Præterea ſublata ſpecie vna,tolli reliquas non eſt neceſſe.Sublato enim homine,loci quippiam animali,formiſque cęteris, vt equo,plantis,& cani relinquitur.Si ergo in Categorias decem id quod eſt, vt genus in formas diducitur,eſſe in illis prius poſteriuſque non oportuit:nec eorum aliud magis,aliud eſſe minus entis particeps.Nunc verò prius in hiſce atque poſterius cernitur.Nam priorem eſſe naturam ferũt, itemq́ue cætera:quandoquidem ea deleta funditus,loci nihil accidētibus relinquitur , ac propterea maiore eam entis participatione præditam eſſe dicimus:quoniam accidentibus natura cōſtantiam elargitur,quæ in eſſentia ipſa inhærent:ea verò accidentium opem vt cohæreat nō requirit.

Non eſſe commune Categoriarũ omniũ genus,idquod eſt.

Τὸ ὂν Rem ineptè nonnulli conuertũt, naturam Cic. & id quod eſt potius in hoc genere dicit. Ente crebrò Quintilianus utitur.

at verò

at verò accidentia constare ea extincta, in qua etiam nituntur, si nulla vi contineantur, nõ possunt. Nam quidquid alicui accidit, intellectum id cui conuenit habet. Non ergo vt genus in species: sic in Categorias decem, id quod est finditur. Non enim specie vna sublata tollitur genus. Nunc verò essentia obruta reliquæ etiam Categoriæ occidunt, quippè quæ in illa hæreant ac nitantur. Itaque non vt genus, sic id quod est in membra diuiditur: quinetiam nec in Categorias decem, vt in species genus, secerni disiũgique potest. Verumenimuero nec vt totum in partes. Nam totum aut similes in partes, aut in dissimiles (quemadmodum à nobis anteà dictum iam est) manat atque diffluit. Id verò in partes diffindi similes dicitur, cuius membra cum toto sic similitudine quadã consentiunt, eodem vt notentur nomine, nec inter ea quidquam intersit. Nam ligni quæque pars lignum appellatur, nec quidquam interest: eodemque modo pars nerui quælibet, communi cum toto nomine designatur, nullaque inter se caro & vena ratione discrepant. Fieri igitur non potest, vt velut in partes similes genus, sic in Categorias decem id quod est tribuatur. Nam quanquam partes, quæ sunt Categoriæ, entia totius nomine appellantur: nihilo secius tamẽ rebus nominibusque differũt, nec similes inter se sunt. Aliud enim essentia, atque aliud quantitas designat. Insuper quod similium non est partium, id si diuidatur, partes totius nomine insignitas non habet, quæ etiã inter se dissident, veluti partes faciei sunt nares & oculi, nec cum toto ipsæ consentiunt, sed inter se distinguuntur. Nares enim aut oculos faciem esse dicere nõ possumus. Id ergo ne velut in partes quidem dissimiles secari potest. Nam si partes nominibus rebusque differunt, idcirco partium similium id quod est non erit. At verò totius appellatione partes continentur. Nam & substantia, & quantitas, & qualitas entia nominantur, cuiusmodi quæ in partes tribuuntur dissimiles esse nõ solent. Igitur si neque vt in similes partes, neque vt in dissimiles totum, sic ens in Categorias decem finditur, demonstratumque est, neque id vt genus in formas secari: efficitur ergo vt velut ambigua vox in varias significationes diducatur.

VERVM POSITA sint, quemadmodum in Prædicamentis]. Ponantur, inquit, quemadmodum in Categoriis, naturæ totius prima genera, decem veluti rerum omniũ primordia. Nam docere decem esse solùm initia & capita rerum, nõ est huius disputationis & temporis. Siquidem illud est in Categorijs constitutum. Nunc verò id tanquam confessum positum sit. Hęc si quis entis appellatione concludenda putarit, homonymè non synonymè concluserit. Homonyma porrò dicuntur, quæ communem appellationem habent, definitionem autem naturæ, nomini congruentem aliam atque aliam, Vt terrenus canis, cælestis, & marinus. Hæc enim nominis tantummodo societate coniuncta, definitione ea quę naturam eorum, vimque nominis explicat differũt. Synonyma autem sunt, quorum & commune nomen est, & eadem naturæ nomini attributa definitio, vt homo & equus. Vterque enim animal est, & communi animantis nomine eorum vtrunque appellatur, ac definitione ea quæ animantis vim & naturam complectitur (quæ natura est animi & sensus compos) eadem continentur. Hæc igitur, inquit, si quis omnia esse dicat, ambiguè non eadem ratione appellabit, iuxta illud, Homonyma nominis sola communione ac societate coniungũtur. Synonyma autem sunt quorum & nomen commune est, & eadem nomini attributa naturæ definitio. Ens ergo solius nominis communionem iis quæ sub eo subiecta sunt exhibet. Decem enim Categorię entia nuncupantur, non etiam communem nominis rationem sortiuntur. Alia enim Categoria pro rei natura, nominis: alia & definitionis quæ iuxta nomẽ afferri debet compos est. Quamobrem vt ambigua vox in significationes varias, id quod est in Categorias decem, essentiã, quantitatem, qualitatem, ea quæ cum aliquo conferuntur, vbi, quando, efficere, & accipere, iacere, atque habere scinditur.

INDIVIDVA AVTEM quæ sunt post specialissima infinita sunt]. Infinita inquit, non statu: sed quòd iterum atque iterum oriantur.

SPECIFICIS differentiis]. Id est, naturæ efficientibus. Vt animal rationis particeps, & rationis expers. Nam & aliæ non naturales definitiones existunt.

Plato in Sophista. INFINITA verò, inquit, omittenda sunt]. Hoc ait Plato in Sophista. Nam scientia definitionis capax est. Quod ergo non potest scientiarum peruestigatione cõprehendi, id ipsum sciẽtia etiam nulla potest contineri: Profectò, quemadmodum in demonstrandi arte ostensum est, vniuersis modo rebus nõ etiam singulis potest definitio cõuenire. At [qui igitur ad specialissima descendunt] dixit, propterea quòd id quod est non est commune genus primorum generum, quæ & natura sunt sua definita, & nobis non incognita. Quamobrem consyderare etiã voluit, an ita se in formis res habeat infimis, vt in primis generibus. Quocirca primum illa atque distinctum sortita esse numerum ait, ac nobis notum. Prima enim sunt decem genera. Species autem vltimæ, vt homo, equus, bos, canis, vitis, olea, quas indiuiduorum partitio sequitur: suapte illę quidem natura distinctæ, atque definitæ sunt: sed nobis incognitæ, cùm aliæ aliis in locis enascãtur. Nam multa sunt nobis

bis vt animātum, ſic plantarū, & metallorum genera incognita. Porrò definita eſſe quæ toto mundo conſtant, facili explicatione oſtendemus. Nam infinito maior moles ac magnitudo nulla eſt. Hoc ergo poſito ac conſtituto ſpecies vltimas infinitas eſſe faciamus. Quoniam igitur in quaque ſpecie multa ſunt indiuidua: ſiquidem humana ſpecies cùm vna ſit in mille indiuidua, ſingulos nēpe homines, diuellitur: itemque equi forma cùm vna ſit, multa ſibi ſubiecta indiuidua complectitur, eademque eſt cęterorum ratio, perſpicuum eſt indiuiduorum multitudinem, formarum collectione longè ſuperiorem eſſe. Quòd ſi formas numero vincunt quæ ſub illas ſubiecta ſint indiuidua, formarum autem infimarum infinitus eſt & incertus numerus: indiuiduorum igitur numerus infinito erit formarum numero maior. Quod cùm fieri non poſſit, vt quæpiam ſit infinito cōpages infinitior, certè relinquitur vt formarum infinitus numerus eſſe non poſſit: hoc ipſo enim quo numerum eſſe numero ſuperiorem dicere conſueuimus, inferioris vim & naturā definimus. Nam qui maior alio eſt, exuperantia quapiam excellentiaque maior eſt, quæ ſi detrahatur, definiri alterum atque circunſcribi neceſſe eſt. Hoc igitur modo explicatū à nobis eſt ſpecies vltimas infinitas non eſſe. Eadem verò ratione efficietur ne indiuiduorum quidem, quæ formis infimis ſubiiciuntur, infinitum eſſe numerum: quanquam hæc ipſa formas longo interuallo ſuperent. Nam ſi quis infinita eſſe indiuidua dicat, aut ea quæ ſub quaque ſpecie continentur, exempli gratia, quæ hominis, vel equi ſpeciei ſubiiciuntur infinita eſſe intelliget: aut indiuidua quidem quæ formis omnibus contenta ſunt certa ac finita eſſe cenſebit: eorum autem omnium collectionem infinitam. Atqui ſi indiuidua quæ ſub quaque ſpecie continentur infinita eſſe dicet, ſequetur rurſum infinito eſſe quippiam maius. Singuli enim homines infiniti ſunt, itemque equi ſinguli. Igitur collectio quæ ex vtriſque coagmentatur, duplo infinito maior erit: quod abſurdum eſt. Fieri igitur non poteſt, vt indiuiduorum quæ ſpecies vltimas ſequuntur infinitus ſit numerus. Porrò ſi quæ formis ſingulis ſubiiciuntur certa ac definita ſunt indiuidua, profecto ſpecies etiam vltimæ definitæ erunt, & quæ ex omnibus cogetur multitudo certo erit numero compręhenſa. Nam quæ ex definitis cōſtant, definita ſunt. Quare definitus eſt indiuiduorum numerus. Quòd autem ſemper gignantur, ſiquidem vniuerſum æternum eſt, infinitè fundūtur: qua ratione numerus etiam infinitus eſt, propterea quod etſi is augeri ſemper, non deficere poteſt: qui actu tamen ſumitur certus ac definitus eſt. Eodemque modo vaſtam arenarum congeriem definitam eſſe intelligimus: hinc illud,

οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ', ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης.

Nouimus Oceani menſum, numerumque harenarum.

Nam infinita ſi foret arenarum multitudo, quoniam adiectus ei hominum numerus, quod ex vtroque conflatur maius efficit, quippiam eſſet infinito maius, quod fieri non poteſt. Quamobrem ſpecies vltimæ natura ſunt illæ quidem ſua certæ & definitæ: ſed nobis incognitę. Inſectilia autem definita natura non ſunt, quia rurſus ac rurſus oriuntur: ſed nobis tamen perſpecta atque explorata ſunt, dum actu ipſo in formarum vim verſa fuerint, ortuſque initium habuerint: & etiamſi quot ea ſint non intelligatur, quod ad eorum tamen vim & naturam attinet, vt & ſpecies cognoſci potuerunt, quandoquidem certum & definitum harum eſſe numerum oſtenſum eſt.

QVI VERO aſcēdunt ad ſumma]. Hoc loco tradere Porphyrius inſtituit quid iis qui à formis infimis ad ſumma nituntur genera, quidque iis qui à ſummis generibus ad ſpecies vltimas delabuntur, contingat.

ATQVE ETIAM magis genus]. Nam ſpecies indiuidua ſingula complectitur: genus verò & ſpecies & indiuidua compręhendit. Nam cùm ab inferioribus ad genera ſumma contendimus, multitudine res in vnam naturam colliguntur: facultate autem cogitationeq; augentur. ſiquidem formarum numerus indiuiduorum multitudine eſt ille quidem inferior: ſed facultate tamen eum vincit atque ſuperat. Eademque eſt generum ratio, donec ad ſummum peruentū fuerit. Idque meritò. Cùm enim vna ſit naturæ totius cauſſa atque initiū, idcirco quò propiores ei res ſunt, eò arctius coguntur multitudine, ac facultate latius effunduntur, quò verò longius abſcedunt, cōtrà: augentur quidem numero, ac facultate minuuntur.

EXPLICATVM igitur cùm ſit à nobis]. Pollicitus eſt Porphyrius ſe ad fidē hominumque ſenſus accommodatè, atque aptè ad rationem diſſerendi de quinque vocibus hoc tempore diſputaturum. Explicatum igitur cùm ſit à nobis, quid ſit genus, & quid ſpecies: addere inſtituit, quonā modo harum rerum cognitio ad ea quæ de diſſerendi ratione literarum ſunt tradita monumentis conducat. Quoniam enim diſſerendi ratio in neceſſaria concluſione elaborat: neceſſaria autē concluſio ratiocinatio quædam eſt: in ratiocinatione autem enunciationibus egemus, ac propoſitio duabus è vocibus coaleſcit, quarum ſubiecti munere altera fungitur, altera prædicati: ac ſubiectū quidem eſt de quo ſermo habetur, prædicatum verò quod de eo dicitur: vt Socrates ambulat. Subiicitur Socrates quo de verba fiunt: prædicatur autem ambulat, quod de eo enunciatur. Rurſum ſi dixero

ἀπόδειξις.

ſi dixero animum ſeipſum mouere,ſubiicitur animus:& de eo ſeipſum mouere effertur. Itemque ſi dixero homo eſt animal,homo ſubiicitur,atque animal prædicatur, eodemque modo in enunciatione omni. Sic de generibus & formis docere inſtituit, quæ de quibus prædicentur,& quæ quibus ſubiiciantur. Atque vt intelligamus qua ratione compoſita ea enunciationes efficiant, ex quibus concluſio naſcitur,in qua diligens omnis diſſerēdi ratio verſatur,de ſpecie genus ait enunciari,atque adeò de inferioribus ſuperiora omnia, vt de homine animal, & de animali eſſentiā: ſpeciem autem de genere nunquam dici:neque enim eſſentiam animal eſſe, aut animal hominem rectè poſſis dicere. Iam hoc perſpicuum eſt genera quidem de formis ſemper dici: ſpecies verò de generibus nunquam enunciari ſolere:efferrique(vt ſummatim complectar)vel de minoribus maiora,vt animal de homine:vel de paribus paria,vt de homine ad riſum eſſe natum. Ea autem quæ paria inter ſe ſunt,viciſſim in ſeipſis inuicem dicuntur:ſiquidem iſta ſic reciprocantur,vt ſi aptum ad riſum ſit,ſit homo,& ſi homo ſit,aptum ad riſum.

ET OMNIA SVPERIORA de inferioribus]. Veluti de corpore eſſentiā, de animato corpus,de animante animatum,de homine animans.

DE QVIBVS autem ſpecies dicitur,de iis neceſſariò & ſpeciei genus prædicabitur]. Quæſtionem aliam tradit,quæ ipſa ad diligentem diſſerendi rationem plurimum valet. Ea verò eſt huiuſmodi, Ea in quibus dici ſpecies poteſt,in iis etiam ſpeciei genus dicitur,idque ad primum vſque genus exiſtit. Veluti,ſi dicatur de Socrate homo,& de homine animal,& de animali eſſentia, dicentur omnino verè de Socrate,& animal,& eſſentia:eodemque modo animatum de animante, ac proinde de homine etiam & Socrate enunciabitur. Itemque corpus de animato, ideoque & de homine & de animante,& de Socrate efferetur. Prætereà ſubſtantia de corpore,ob eamque cauſſam ſubſtantia & corpus,& in animato,& in animante,& in homine, & in Socrate dicentur.

GENERALISSIMVM enim de omnibus ſub ſe poſitis generibus,& ſpeciebus, & indiuiduis enunciatur]. Etenim ſi ſuperiora omnia de inferioribus dicuntur,apparet,prim ūillud & ſupremum genus de omnibus generibus,formis, indiuiduiſque quæ ei ſubiecta ſunt dici. Speciem autem de ſolis indiuiduis.

INDIVIDVVM dicitur Socrates,& hic candor]. Cùm, hic: adiecit,indiuiduum id de quo ambigitur,reddidit. Nam candor res eſt vniuerſa.

QVARVM COLLECTIO nunquam in alio eadem erit]. Non dixit quorum ſingula, ſed quorum collectio. Nam ea ſingula alicui poſſunt conuenire, vniuerſa verò ac tota, nulli.

AT VERO HOMINIS proprietates (dico autem eius qui eſt communis) erunt eædem in pluribus]. At quæ in humanam ſpeciem cadunt,eæ hominibus quoque ſingulis competunt. vt animal rationis particeps,mortale, & ea denique omnia quæ homini communi & vniuerſo libuerit attribuere. Iam verò intelligendum eſt generis eſſe proprietates quaſdam, & formæ,& indiuidui. Cæterùm quæ in genus cadunt atque ſpeciem,in multis ineſſe poſſunt. Eæ autem ex quibus indiuiduum conſtat,omnes in alio eædem eſſe nullo modo poſſunt, ſed ei modo conueniunt. Veluti generis proprietates,vt animalis ſunt eſſentia, animatum, ſenſus particeps: hæ ergo multis congruunt. Nam & homini,& equo,& cani,ſinguliſque animantibus coaptantur. Itemque ſpecies eſt homo,eius verò proprietates ſunt,animal rationis particeps mortale,mentis atque ſcientiæ capax, poſſuntque in hominibus omnibus hæ reperiri. Sed ad indiuiduū accedamus,velut ad Socratem. Eius proprietates atque accidentia ſunt,philoſophum,caluum,prominente aqualiculo,Sophroniſci filium,Athenienſem eſſe,& ſiquid eſt huiuſmodi. Horum igitur vnumquodque,& in aliis ſua vi quidem ineſſe poteſt:ſunt enim alij etiam calui,& ſimi, & Philoſophi & Athenienſes,atque adeò fortaſſe Sophroniſci filij:at verò proprietatum harum accidentiumque aceruus, vt philoſophum eſſe,caluum,ſimum,ventre prominulo,in hocque aut illo tempore extitiſſe,ſoli Socrati conuenit: nec in alio quoquam reperiri poteſt.

SPECIES AVTEM genere continetur. totum enim quiddam eſt genus. Nam genus totum ſolùm eſt,indiuiduum verò ſolùm pars:Species autem & totum,& pars. Ac totum quidem,qua ratione cum indiuiduo comparatur,pars,vt cum genere:ſed pars quidem alterius,totum autem non alterius,ſed in aliis:in partibus enim totum conſiſtit]. Quia totum atque pars in iis ſunt quæ cum aliquo conferuntur:omnia autem quæ cum alio comparantur,aut recto aut obliquo caſu atque inflexu efferuntur,veluti cùm patrem filij patrem eſſe dicimus ingenerandi: cùm amicum amico amicum,dandi:cùm pulſantem eum qui pulſatur pulſantem accuſandi vtimur caſu. Quæ cùm ita ſint idcirco dixit,partem alius,in aliis totum. Nam partes alius eſſe partes dicimus,tumque generandi adhibere caſum ſumus ſoliti:totum autem non etiam partis totum nominamus. Nam totū vna ex parte non conſtat, ſed ex multis. Verùm cùm dicimus totum partibus totum, accommodatè dandi caſum vſurpamus,propterea quod totius in partibus natura poſita eſt atque conſtituta.

Quamobrem

Quamobrem catè adiecit,totum autẽ non alterius,ſed in aliis.Intelligẽdum eſt autem poſſe idem generandi caſu non vnitatis illo quidem , ſed multitudinis explicari,atque totũ partium eſſe totũ dicere.Cæterùm Porphyrius vulgi morem conſuetudinemq́ue ſequitur,cùm id dandi caſu exponit.De genere ergo & ſpecie,quæq́ue & genera & ſpecies nuncupantur , nempe ὑπάλληλα, & quàm variè genus ſpeciesq́ue dicantur,genus ſcilicet tribus,ſpeciẽ verò duobus notari ſolere modis,ſatis iam diximus.

Quæſtio eſt quam ob cauſſam Porphyrius ſpeciem generi proximè ſubiũxerit.Si enim hæc fuit ratio præponendi generis reliquis omnibus , quòd naturæ ſuæ magnitudine cætera contineret,non ęquum erat ſpeciem differentiæ in ordine tractatus anteponere, quòd differentia ſpeciem contineret,cum pręſertim differentiæ ipſas ſpecies informent.prius autẽ eſt quod informat,quàm id quod eius informatione perficitur.poſterior igitur ſpecies eſt differentia. Huic reſpondendum eſt quæſtioni,genus & ſpeciem eſſe ad aliquid:relatiuorũ vni alterum ſubiiciendum eſſe, quoniã eſſentia vnius dependet ab eſſentia alterius. BOETIVS.

Plures ſunt ſpeciei ſignificationes,quas præteriit ne lectoris animum confunderet.

VNIVSCVIVSQVE]. Hæc enim ſecundum accidẽs dicitur. Quæ vnicuique forma indiuiduo eſt,ea non ex ſubſtãtiali quadam forma ſpecies,ſed ex accidentibus venit:alia eſt ſubſtantialis formæ ſpecies quæ humanitas nuncupatur,eaque non eſt quaſi ſuppoſita animali , ſed tanquam ipſa qualitas ſubſtantiam monſtrans.hæc enim ab hac diuerſa eſt quæ vniuſcuiuſque corpori accidentaliter inſita eſt, & ab ea quæ genus diducit in partes.quare triplex erit ſpecies, qualitas ſubſtantiæ,cuiuſlibet propria forma indiuidui,& ea quæ ponitur ſub genere.

QVOD SI etiam genus]. Cum generis deſcriptionem aſſignaret,in generis definitione ſpeciei nomen iniecit dicens,id eſſe genus quod de pluribus ſpecie differentibus in eo quod quid ſit prædicaretur:vt ſcilicet per ſpeciei nomen genus deffiniret.Nunc verò cum ſpeciem deffinire cõtendat,generis vtitur nuncupatione dicens,ſpeciem eſſe quæ ſub genere ponitur. quod vitioſum eſſe videtur, quoniam omnis definitio ex notioribus componi debet.nec idem oportebat notius eſſe & ignotius.reſpondendum relatiua ſortiri ſubſtantiam ab inuicem,genus autem & ſpeciẽ relatiua eſſe.ergo genus per ſpeciei,& ſpecies per generis nuncupationem definienda fuit.

ASSIGNANT ERGO]. Tribus ſpecies deffinitionibus informauit,quarum quidem duæ omni ſpeciei conueniunt,omneſque quæ quolibet modo ſpecies appellantur,ſuam concluſionem determinant, tertia verò non ita.Tum enim duæ ſunt ſpecierum formę,vna quidem eſt cum ſpecies alicuius,aliquando etiam alterius genus eſſe poteſt.altera ſpecies tantum ſpecies eſt,neque in formã generis trãſit.priores duæ omni ſpeciei conueniunt. Id enim tãtum hæ definitiones mõſtrãt,quod ſub genere ponitur.Sed tertia diffinitio de ea ſpecie intelligẽda eſt,quæ nunq̃ gen⁹ eſt.

PLANVM autẽ erit quod dicitur hoc modo,in vnoquoq; pręadicamẽ.] Pręadicamẽta idcirco vocauit Ariſt.quoniã de cæteris omnibus prædicãtur. Si quid verò de alio prædicatur nõ conuerſim,maior eſt res illa quę pręadicatur,ab ea de qua prædicatur. Itaque hæc prædicamenta maxima omnium rerũ vocantur. Sub animali rationali eſt homo deus.deum dico corporeũ,hũc enim mundũ deũ veteres vocabant,& Iouis eum appellatione dignati ſunt,deũque ſolem cæteraq́ue cæleſtia corpora : quæ animata eſſe tum Plato,tum plurimus doctorum chorus arbitratus eſt.

Subſtãtia generaliſſimum dicitur genus,quoniam præpoſita eſt omnibus,nulli verò ipſa ſupponitur,& ſolum genus propter eandem cauſam dicitur:homo autem ſpecies ſolũ, quoniam Plato,Cato quibus eſt ipſa præpoſita,non differunt ſpecie ſed numero tantũ . intermedia ſunt ſubalterna quæ ſunt genera & ſpecies.

QVEMADMODVM igitur ſubſtantia]. Ex proportione generis nomen ſpeciei oſtenditur.

Species non habere ſub ſe eſt,iis pręeſſe quæ neque in diſſimilia diuidi poſſunt vt genera,neque in ſimilia vt ſpecies ſecantur.

DETERMINANT].Specialiſſimũ & generaliſſimũ oppoſito modo diffiniũtur, quoniã oppoſita ex oppoſitis deſcribuntur interdum.Nã quoniã præpoſitio appoſita eſt ſuppoſitioni,genus autẽ præponitur,ſpecies verò ſupponitur,ſi iccirco erit primũ genus quia ita ſuperponitur vt minimè ſupponatur,idcirco erit vltima ſpecies:quia ita ſupponitur,vt præponi non poſſit.igitur recte oppoſitorũ ex oppoſitis facta eſt definitio. Quod dicimus ſpeciẽ de pluribus numero differẽtibus prædicari,duobus id recte excuſatur modis,vno quidẽ quia multò plures ſũt ſpecies quę de numeroſis indiuiduis paædicantur,q̃ quibus vnũ tantum indiuiduum videtur eſſe ſuppoſitum. dehinc hoc modo:quia multa ſecundum poteſtatem dicuntur, cùm actu non ſemper ita ſint.

In familiis Ioueẽ vltimũ poſuit pro numinis reuerentia. pater enim Iouis fuit Saturnus.Licet igitur omnes familiæ diuerſæ ad vnum principiũ redire poſſint,non tamẽ diuerſa prædicamenta ad vnum commune genus reuocabuntur.

Fuerunt qui rerum omnium quæ ſunt, vnum putarent genus eſſe quod ens nuncupatur, eo quod ens de omnibus prædicaretur, itaque vltimum omnium genus poſuerunt. Sed Ariſtoteles ſapientiſſimus principiorum cognitor reclamat huic ſententię, nec ad vnum res omnes putat duci poſſe primordium: ſed decem genera eſſe in rebus, quæ cum à ſemetipſis diuerſa ſunt, tamen ad nullum commune principium reducuntur. hæc autem decem genera ſtatuit, ſubſtantiam, qualitatem, quãtitatem, ad aliquid, vbi, quando, ſitum, habere, facere, pati. quod verò occurrebat, quoniã de omnibus his eſſe prædicaretur (omnia enim quæ ſuperius dicta ſunt genera, eſſe dicuntur) ita diſcuſſit ac repulit, dicens non omne commune nomen, communem etiam formare ſubſtantiam, nec ex eo debere genus eſſe commune arbitrari, quòd de aliquibus commune nomen prædicaretur. Quibus enim definitio communis nominis conuenit, illa communis nominis iure ſpecies iudicabuntur: quibus verò non conuenit, vox his communis tantum eſt, nulla verò ſubſtantia. itaque id quod dicitur ens etſi de omnibus dicitur prædicamentis, quoniam tamen nulla eius definitio inueniri poteſt quæ omnibus prædicamentis poſſit aptari, iccirco nõ dicitur vniuoce de prędicamentis vt genus, ſed æquiuoce.

DECEM IGITVR generaliſſima]. Quoniam ſpecierum noſſe naturam ad ſectionem generis pertinet, & ſcientia infiniti eſſe non poſſit, nullus enim intellectus infinita circũdat: iccirco de multitudine generum, ſpecierum, atque indiuiduorum rectiſſima ratione perſequitur, dicẽs genera generaliſſima certo præfixa numero, & ſpecialiſſima pariter: indiuidua autem ſpecierũ eſſe infinita.

Specialiſſima multò plura ſunt quàm ſubalterna, quoniam per multitudinem generum ſubalternorum vſque ad ſpecialiſſima deſcenditur. ſpecies quidem multò plures eſſe quàm genera ſubalterna, hoc maximè oſtenditur, quòd inferiores ſunt, & ſemper ſubalterna genera in plura ſubiecta diuiduntur.

Indiuidua quæ ſub vnaquaq; ſpecie ſunt, infinita ſunt, vel eo quod tam multa ſunt diuerſiſq; in locis poſita vt ſcientia in vnum concludi compræhendique nõ poſſint: vel quòd in generatione & corruptione poſita, nunc quidem incipiũt eſſe, nunc deſinunt. Atque idcirco ſuprema quidem genera, ſubalterna, & ſpecies eas quæ ſpecialiſſimę nuncupantur, quoniam finito ſunt numero, poteſt terminus ſcientiæ includere, indiuidua verò nullo modo.

DESCENDENTIBVS igitur]. Diuidere eſt in multitudinem quod vnum fuerat antè, diſſoluere, omniſque collectio è contrario compoſitionem coniunctionemque meditatur. quod enim cum ſit vnum diſpertiendo diuiditur, id ipſum ex pluribus rurſus partibus adunando componitur. vt igitur ſuperius dictum eſt, indiuiduorum quidem ſimilitudinem ſpecies colligit, ſpecierum verò genus. Similitudo enim nihil aliud eſt niſi quædam vnitas qualitatis. ergo ſubſtantialem ſimilitudinẽ indiuiduorum, ſpecies colligere manifeſtum eſt, ſubſtantialem verò genera, ſimilitudinem verò ſpecierũ contrahunt, & ad ſeipſa reducunt. Rurſus generis adunationem differentiæ diſtribuunt in ſpecies, ſpecieique adunationem in ſingulares indiuiduaſque perſonas, accidentia partiuntur. Cum igitur hoc ita ſit, neceſſe eſt ſemper cum à genere deſcenditur, ad ſpeciẽ diuidendo ſemper facere multitudinem. cum verò à ſpeciebus aſcenditur ad genera componendo, colligere plures in ſpecierum differentiis quæ diuerſæ fuerant ſimilitudinum qualitates & adunare. in ſpeciebus etiam idem conſiderari poteſt. Vt enim ipſa indiuidua quæ ſunt infinita, vnã ſimilitudinem ſubſtantialem colligunt: Ita ſpeciem propriam infinitè diſtribuunt: Omnia enim indiuidua diſgregatiua ſunt & diuiſiua. ſpecies verò & genera collectiua, ſpecies quidẽ indiuiduorum collectiua atque adunatiua: ſpecierum verò genera: vt ita dicendum ſit, genus quidem ſpecies diſtribuit, & ſpecies ab indiuiduis multitudine deducuntur. Rurſus autem genus quidem multas ſpecies colligit: ſpecies autem ſingularem particularemque multitudinem ad ſingularitatis perducit vnitatem. igitur plus genus adunatiuum quàm ſpecies. Species nanque ſola indiuidua colligit: genus verò tã ſpecies quàm ipſarum quoque indiuidua cõtrahit ſingulareſq; perſonas. ſed in hoc conuenienti vtitur exemplo dicens: participatione ſpeciei, id eſt hominis, Cato, Plato, Cicero, pluresque reliqui homines vnus, id eſt milia hominum in eo quod ſunt homines, vnus homo eſt. at verò vnus homo qui ſpecialis eſt, ſi ad hominum multitudinem qui ſub ipſo ſunt cõſideretur, plures fiunt: ita & plures homines in ſpeciali homine vnus eſt, & ſpecialis vnus in pluribus infinitus. Sic igitur quod ſingulare quidem eſt, diuiſiuum eſt, quod commune verò quoniam multorum vnum eſt, vt genus ac ſpecies, collectiuum eſt atque adunatiuum.

INDIVIDVVM AVTEM dici Socrates, & hoc album]. Quoniam ſuperius indiuiduum appellauit, huius nominis rationem conatur oſtendere. Ea nempe ſola diuiduntur, quæ plurimis communia ſunt. ab iis enim vnum quodque diuiditur, quorum eſt commune, quorumque naturam ac ſimulationem continet. Illa verò in quibus commune diuiditur: communi natura participant,

ticipant,proprietaſque cõmunis rei iis quibus cõmunis eſt conuenit.at verò indiuiduorũ proprietas nulli cõmunis eſt. Socratis enim proprietas,ſi fuit caluiſſimus,propẽſa aluo,cæteriſq; corporis lineamẽtis,aut morũ inſtitutione,aut forma vocis,non cõueniebat & in alterũ.Hæ enim proprietates quę ex accidentibus ei obuenerãt,& eius formã figurãq; coniunxerant,in nullo alio cõueniebãt,eiuſque proprietates nulli poterant eſſe communes. cuius verò proprietates in nullum alium conueniũt,proprietates eius nulli poterant eſſe communes.Cuius proprietas nulli communis eſt, nihil eſt quod eius proprietate participet : Quod verò tale eſt,vt proprietate eius nullus participet,diuidi in ea quibus non participat,non poteſt. Recte igitur hæc quorum proprietates in aliud non conueniunt,indiuidua nuncupantur. At verò hominis proprietas , id eſt ſpecialis , conuenit in Socratem,In Platonem,& in cæteros quorum proprietates ab accidẽtibus venientes in quemlibet alium ſingularem nulla ratione conueniunt.

CONTINETVR IGITVR indiuiduum quidem ſub ſpecie]. Hîc retractat omnia breuiter quæ ſuprà latius abſoluit dicens : Indiuiduum à ſpecie contineri: ſpecies verò ipſas à genere, huiuſq; cauſam reddẽs ait.Omne genus totum eſt:indiuiduum verò pars. genus enim in eo quod genus eſt:continet tantum , & ſi ſpecies eſſe poteſt. totum enim non vt genus,eſt ſpecies:ſed vt ea quæ ſupponitur generi . genus igitur in eo quod genus eſt , totum eſt ſpeciebus . ſemper enim continet eas . At verò indiuiduum ſemper eſt pars : nunquam enim ipſum aliquid ſua proprietate concludit.Species verò, & totum eſt , & pars : pars quidem generis,totum verò indiuiduis.& cum pars eſt,ad ſingularitatem refertur:cum totum,ad pluralitatem. quoniam vnum genus pluribus ſpeciebus ſupereſt,vna quęlibet ſpecies pars eſt generis,id eſt vnius.quoniã aũt ſpecies pluribus indiuiduis præeſt, nõ eſt vni indiuiduorum totum ſed plurimis. Iccirco enim totum dicitur, quia plura continet,& coercet.Nam vt pars ſit aliquid,vnum ipſum vnius pars eſſe poterit: vt verò totum ſit , vnum ipſum vnius totum eſſe non poterit . Iccirco alterius quidem pars eſt ſpecies, aliis verò totum.

Et de genere quidem , & ſpecie dictum eſt , quid ſit generaliſſimum genus , quoniam id eſt cui nullum aliud ſuperponitur genus ,& quid ſpecialiſſima ſpecies, quoniam ea cui ſpecies nulla ſupponitur : & quorum genera eadem ſunt , eædem & ſpecies , ſcilicet ſubalterna quibus aliquid ſuprà ponitur, aliquid verò ſupponitur:quæ etiam indiuidua, ea quorum ſcilicet proprietates alteri nequeunt conuenire . Et quot modis genus & ſpecies dicitur . genus quidem aut in multitudine , aut in procreatione , aut in participatione ſubſtantiæ conſiſtit, ſpecies autem , ex figura, aut ex generis ſuperpoſitione,dictum eſt ſufficienter.

De ſpecie.

Speciem generi ſubiecit,differentiæ præpoſuit ordine doctrinæ,quòd magnam habeat ſimilitudinem cum genere in ratione prædicandi: nam quemadmodum genus prædicatur de pluribus eſſentialiter, non conuerſim & in quid,ita ſpecies , vnde ſpecies videtur induere faciem generis ſecundum Rodolphum . Præterea in eodem ordine prædicamenti ponuntur: differentia verò in quale prædicatur,& in latere ponitur . Prius tamen agit de ſpecie in vniuerſum,quæ eſt correlatiuum generis , quæque tantum ſubiicitur , quoniam ſpecies prædicabilis & correlatiuum generis eodẽ nomine conſpirant . Adhæc non modo inſtitutum eſt Porphyrij agere de his quæ prædicantur,ſed etiam de ſubiectis,cùm oppoſitorum ſit eadem diſciplina.ſpecies autem, ſiue ſubalterna,ſiue ſpecialiſſima generi ſubiicitur.igitur merito de ſpecie quæ ad genus refertur prius agitur, deinde de infima quæ relata ad ſingulas res,ſecundum prædicabile efficit.

Vt nobis clarum ſit ſpeciem dici æquiuoce , eius duas ſignificationes ſubiicit . ſpecies nonnunquam dicitur forma ſiue pulchritudo corporis quæ ex accidentium multitudine & membrorum proportione conſurgit: iuxta quam ſignificationem dicimus filium primogenitum eſſe dignum imperio & hæreditate , quòd primò ferat effigiem & ſimilitudinem patris . deinde vocatur ſpecies vox communis,quæ directim ſub genere ponitur.

Species habet plures ſignificationes duabus, quas non oportuit numerari , ſed eas duntaxat quæ pertinent ad logicum , vel ſaltem conferunt ad cognitionem ſpeciei logicæ, quæ eſt dicta ad ſimilitudinem ſpeciei pro forma:quia quemadmodum pulchritudo corpus perficit & illuſtrat , ſic genus vagum,informe perficitur à ſpecie.eſt enim ſpecies generis perfectio ſecundum Ariſtot . in metaphyſicis . vnde à ſpeciendo dicitur . vbi inquit album eſſe ſpeciem coloris,ſumit album pro albedine.

Figura eſt quæ termino , vel terminis clauditur , termino quidem vt circulus, terminis vt triangulus.

Hæc duo exempla ex prædicamento qualitatis ſunt,prius continetur ſub paſſibili qualitate, poſterius ſub quarta ſpecie.

Genus & ſpecies propriè conueniunt his quæ ponuntur in prædicamentis, aliis impropriè.

Senſus eſt obiectionis, genus definitum eſt per ſpeciem, at ſpecies per genus explicatur: igitur fit circulus, qui maximè in diſciplinis fugiendus eſt, alioquin idem eſſet notius & ignotius. Ad quam reſpondet genus & ſpeciem eſſe ad aliquid, relatiua verò ſeſe definire.

Obiectio. Nihil quod eſt extra eſſentiā eſt de eſſentia: ſed vnum relatiuum cum opponatur, eſt cōtra eſſentiam: igitur extra correlatiui naturam. Reſpondendum eſt correlatiuū cum habitudine ad ſuū relatiuum eſſe de eſſentia, vt filius cum habitudine ad patrem eſt, differentia patris. vel reſpondendum eſt, aliquid eſſe de natura alterius, ſine quo aliud intelligi nō poteſt, ſiue ſit pars ſiue non. aliquando enim ſubiectum ponitur in definitione accidentis, licet eius non ſit pars.

Genus & ſpecies dicuntur relatiua, non quòd ponantur in prædicamento ad aliquid, ſunt enim nomina nominum: ſed quia propius accedant ad naturam relatiuorum. Cæterum ſpecies, vt eſt relatiuum, non conſtituit ſecundum prædicabile, tantum enim ſubiicitur & reſpicit genus.

Tres priores definitiones ambabus ſpeciebus aſcribuntur, vt genus reſpiciunt. poſtrema ſpeciei infimæ, vt indiuidua reſpicit.

Ariſtoteles in duodecimo primæ philoſophiæ ſcribit, numero diuerſa quæ materiam diuerſam ſortiuntur: materia verò quemadmodum forma, dupliciter ſumitur. forma enim nonnūquam eſt altera pars eſſentialis compoſiti, ſicut anima eſt hominis pars: aliquando pro quiditate, ſicut humanitas. ſimiliter materia quędam formam ſuſtinet, quædam verò opponitur quiditati extra quā ponitur: hæc autem materia eſt proprietas, qua res ſingulæ inter ſe ſeiunguntur: forma verò quæ eſt quiditas, res ſecundum ſpeciem coniungit iuxta illud Porphyrij, participatione ſpeciei plures homines ſunt vnus homo. Alij volūt formam in materia res numero diuerſas conſtituere ſi modo ſint compoſitæ. vel res numero differunt quæ quadam perſona ſiue qualitate inſeparabili & quaſi eſſentiali ſeparantur.

Sol luna mūdus, vt quibuſdam placet, ratione formæ vniuerſalis pluribus conueniūt: ſed ob materiæ defectum in vno tantū natura eorū conſeruatur. quod ſi verum eſſet, iam talis aptitudo videretur otioſa & ſuperuacanea: natura verò & deus nihil fruſtra efficiunt. Prætereà natura nunquā deficit in neceſſariis. Nam vt ſcribitur in ſecundo de cœlo & mundo, ſi natura dediſſet aſtris potentiam ad progrediendum, organa neceſſaria tribuiſſet. Pari igitur argumento ſi naturali aptitudine ſol, luna, mundus, pluribus conuenirent, materia non defuiſſet: & cùm eſſe & poſſe in ſempiternis non differant, iam eſſent plures mundi lunæ. Quod ſi obiicias nobis Ariſtot. aſſerentem mundum vnicum eſſe, quoniam conſtet ex tota ſua materia: Reſpondebimus Ariſtot. loqui ſecundum ea quę in iſtis inferioribus vidētur. ob multitudinem enim materiæ, multitudo rerum eſt, non tamen præcipue. Quare dicendum eſt ſolem, lunam, mundum in pluribus reperiri ſecūdum potentiam logicam. Eſt autem manifeſtum diſcrimen inter potentiam logicam & phyſicā, quoniam phyſicæ in rebus aliquid reſpondetur: logica verò potentia cerni poteſt, inter rerum & cauſſarum cognationem, ſiue ſint, ſiue non ſint in rerum natura. nam multa ſunt apud intellectum quæ tamen in natura minimè reperiuntur: nec ob id intellectus falſus eſt, quoniam falſitas eſt in compoſitione vel diuiſione mentis.

Porphyrius aſſeruit ſpeciem eſſe generis nuncupatione exponendam, quia ad genus referatur, non ergo ad indiuidua ſortitur ſpeciei nomen. Dicendum eſt propriè dici ſpeciem ad genus, Porphyrium verò prædicabile indiuiduis proximum vocaſſe ſpeciem ob defectum alterius vocabuli. Itaque Rodolphus contendit ſpeciem ad indiuidua collatam faciem generis induere. vel dicendum ſpeciem relatiuè dici vt ſubiicitur, non autem vt prædicatur.

QVAE SOLVM SPECIES, non etiā & genus]. Idem ſcribit Ariſtot. cum inquit in tertio metaphyſices, homo namque non eſt ipſorum ſingularium hominum genus.

Species infima verè natura vna eſt, quoniam ſumitur ab vna forma quæ in ratione rerum eſt, genus verò non ſumitur ab vna forma ſecundū rem, ſed tantum ſecundum rationem: vnde Themiſtius, ſpecies natura quædam eſſe amat & forma. nam ratio hominis ſimul atque iugata materię eſt, homo fit.

Contendit Valla eſſe dicendum genus ſupremum non generaliſſimum, ſpeciem infimam non ſpecialiſſimam. Victorinus magis genus & magis ſpeciem.

Generaliſſimum dicitur quo nihil generalius: ſpecialiſſimum quo nihil ſpecialius. quæ verò nunc præſunt, nunc ſubſunt, dicuntur ſubalterna.

Prædicamentum aliquando ſumitur pro prædicato cuiuſlibet propoſitionis, aliquando pro genere ſupremo: poſtremò ſeries multarum vocum cognatarum recta collocatione poſitarum, dicitur prædicamentum: qua ſignificatione vtitur Porphyrius.

Auerrois tenuit ſolas ſubſtantias corporeas & corruptibiles ex materia & forma compoſitas

in prædicamentis

in prædicamentis reponi,ſubſtantiamque poſitam à Porphyrio fuiſſe pro genere generum, ita vt dicatur genus analogũ. mouetur autem verbis philoſophi dicentis in metaphyſicis contra Platonem,corruptibile & incorruptibile genere diſtingui.Alij volunt non ſolum ſubſtantias corruptibiles,ſed & incorruptibiles locum in prædicamentis habere.

Non enumerantur omnia quæ prædicamento ſubſtantiæ clauduntur,ſed ea duntaxat quæ corporeo animato ſenſitiuo rationali,mortali,differentiis finiuntur,ſub quibus alia intelligũtur, quæ per incorporeum,inanimatum,inſenſitiuum, irrationale & immortale declarantur. eſt enim oppoſitorum eadem diſciplina.

Ariſtoteles in prædicamentis tantum vult incõplexa eſſe, videtur igitur peccare Porphyrius qui corpus animatum & animal rationale enumerat in ſubſtantiarũ ordine.dicendum eſt corpus animatum & rationale animal eſſe tantum voce complexa,accipique loco ſimplicium.

Porphyrius aſſignans animal rationale genus eſſe dei & hominis,ſecũdum Platonicorum & Stoicorum ſententiam loquitur:qui deos animalia rationalia nuncupabant. At ſanè huic opinioni refragatur Ariſtoteles in duodecimo primæ philoſophiæ ſcribens, deum actum puriſſimum & ſimpliciſſimum eſſe ab omni materiæ nexu ſeiunctum.

Sunt qui putent hoc eſſe Ariſtotelicum, his argumentis contendentes, ſcriptum eſt ſecundo *Obiectio.*
cap.quarti top.eos peccare qui immortale dei genus aſſerunt, quoniam differentia ſit diuiſiua animalis,& dei conſtitutiua.quòd ſi dicas hoc eſſe Platonicum,aut in exemplis veritatem nõ ſemper cerni,vrgebunt hoc pacto,Ariſtoteles.14. cap.ſecundi poſt.analyticorum profitetur omnes definitionis partes latiores eſſe definito.Cum igitur rationale in hominis definitione locatur,latius ſe fundet quàm homo.Quòd ſi reſpondeas vniuſcuiuſque definitionis partes communiores eſſe ſigillatim ſumptas aut ſaltem æquales,ſic agent.Ariſtoteles.1.top. hoc habet, quicquid prædicatur conuerſim,proprium eſt aut definitio. ſi igitur rationale cum homine remearet, propriũ aut definitio diceretur.quod vtrunque falſiſſimum eſt.quibus reſpondendum eſt,quicquid cõuerſim prędicatur,definitionem eſſe aut proprium aut illis annexum.Quòd ſi quis proferat Ariſtotelem.12. metaphyſ.dicimus deum eſſe animal perfectum & optimum, Reſpondebimus hoc dictum fuiſſe ſecundum vulgi opinionem.Nam vt ſcribitur.2.top.loquendũ eſt vt multi, ſentiendum vt pauci. Ne igitur mitteretur in exilium,& veneno necaretur quemadmodum & Socrates, aliquando faſſus eſt deum eſſe animal.vel dicemus ſecundum D.thomam vocaſſe deum animal per analogiam, quoniam perfectiſſimè & beatiſſimè ſe contemplando viuat.

NEQVE ALIQVID EORVM quæ poſſunt diuidi]. Indiuidua ſub homine poſita phyſicam ſectionem patiuntur non logicam,quia in res minores & inferiores non diuiduntur, quanquam autem & Cenſorius Cato & Vticenſis,vterque catones dicantur, illud non fit propter communem in ipſis ſpeciem.

QVARE HAEC QVIDEM duas habent habitudines]. Habere duas habitudines eſt ſecundum diuerſos reſpectus diuerſas prædicandi denominationes ſortiri,id eſt nunc generis, nũc ſpeciei rationem retinere.

Et ſi ſpecies infima dicatur continens & contentum, totum & pars,tamen habitudines Porphyrianas ei non dabimus,quoniam genus non eſt.

Rodolphus Agricola iſtud æquo animo non fert, putat enim ſpeciem infimam duas habitudines ſortiri. Alteram qua ſubiicitur,& alteram qua prædicatur. indiuiduis enim cõparata, non tam ſpeciei retinet,ſed generis potius accipit faciem.quare dicendum eſt Rodolphum genus appellaſſe quod de pluribus,ſiue ſpecie,ſiue ſolo numero differentibus in quid prædicatur. eſt igitur verus Porphyrij ſenſus, genera ſuprema habere vnicam habitudinem reſpectu inferiorũ, ſpecies ſpecialiſſimas vnicam reſpectu ſuperiorum & inferiorum,eadem denominatione prædicabilis retenta.

Album ad ſubſtantiam relatum accidens dicitur, ad indiuidua propria ſpeciei nomen recipit:non ob id tamen habebit duplicem illam habitudinem de qua Porphyrius loquitur.

Hæc dictio [genus generaliſſimũ] eſt ſpecies generis diuiſi in ſubalternum & generaliſſimũ, tanquam in ſpecies.at vox rei ob quam hæc definitio datur, non poteſt fieri ſpecies.

Eiuſdem rei cernis non eſſe erroneum plures eſſe definitiones æquipollentes.

Quemadmodum in genealogiis & familiis eſt certus ordo certique ſunt gradus, ita in prædicamentis.Nam genus ſupremum ſimile eſt ei qui tantum pater non autem filius:ſpecies infima filio tantum.Subalterna verò conſenſum habent cum his qui & patres & filij vocantur.

SED in genealogiis quidẽ plærũque reducimus ad vnũ principiũ]. Quanquã categoriæ dictæ ſũt ad ſimilitudinẽ à familiis ſumptã,tamen id eſt diſcriminis, quoniã diuerſæ familiæ ad vnũ

aliquem gentis authorem verbi gratia,ad Iouem quem patrē hominumq́ue deumq́ue ob numinis reuerentiam poëtæ vocant. diuerſæ verò categoriæ ad vnum commune genus minimè referri poſſunt.

Occurrit obiectioni qua quis contenderet decem prædicamenta, entis appellatione concludi, & ad vnū genus caputq; referri,indicans id quod eſt,genus non eſſe,nec vniuocū. quod cōfirmat duplici argumento,altero ſumpto ab vniuocorū definitione,altero ab authoritate Ariſtotelis dicentis in ſeptimo capi.2.poſteriorum analyticorum.non enim ens eſt genus.ſimiliter in.28.c.primi priorum analyticorum,nihil prædicari de generibus ſummis , niſi ſecundum opinionem . Ex quo colligendū eſt eos falli qui ſex poſtrema ad aliquid propriè eſſe concedunt.

Ariſtoteles in.2.cap.quarti metaphyſices.1.cap.&.4.ſeptimi, multiſque aliis in locis , ens nō fecit ſimpliciter vniuocum,aut æquiuocum, ſed mediū inter vniuocū & æquiuocum,id eſt multiplex per analogiam,quòd ſubſtantiam præcipue ſignificet,alia per comparationem ad ſubſtantiā. at verò quoniam analoga in logicis æquiuoca ſunt , non videtur Porphyrius perperam teſtimonio Ariſtotelis ens æquiuocum eſſe conuincere.

Tres de ente extiterunt opiniones,prima vult ens,vniuocum eſſe.ſecundæ placet æquiuocum. Tertię medium inter vniuocum & æquiuocum.in primam ſic licet argumentari,ſi ens vniuocum eſſet,poſtquam ſpeciebus pluribus conueniat in quid,videbitur eſſe genus:quod falſiſſimum eſt Ariſtoteli in ſeptimo capite ſecundi poſteriorum analyticorum dicenti.Non enim genus eſt ens. præterea in primo & quarto capite ſeptimi Metaphyſicorum ſcriptum eſt,ens & vnum rationem æqualiter omnibus conuenientem,non ſortiri:& in ſecundo cap.Sexti,ſi ens in ſuo ambitu proferatur,multipliciter dici & non vniuoce.Adhæc in ſecundo cap.primi phyſicorum,ens multipliciter dici ad ſubſtantias & accidentia fatetur Ariſto.in ſexto capite primi ethi.contra Platonem aſſerit bonum quod reponatur in diuerſis prædicamentis,æquiuocum eſſe.Pari igitur argumēto concludemus ens æquiuocum eſſe,cum in omnibus prędicamentis ſparſum ſit. Quòd autem ens non ſit æquiuocum,authoritate Ariſto.ſcribentis primo capite quarti metaphyſices,ens multis quidē modis dicitur,ſed non æquiuoce,conuincemus.ad quod argumētum reſpondendum eſt, Ens non dici æquiuoce à caſu.

CVM VERO decē ſint prima,communio ſecundū nomen eſt ſolùm,non etiam ſecūdum rationem]. Etſi ens definitionem quandam habeat , nempe id quod ſubſiſtit: non dicitur tamen vniuocum ad omnia,quoniam hæc ratio non ex æquo rebus omnibus ineſt , ſed primò ſubſtantiis, & per ſimilitudinem quandam accidentibus.

Obiectio. Ariſtot.1.c.4.topicorum inquit,ens & vnū de omnibus dici.quare & rationem eorū omnibus conuenire.male itaque Porphyrius obiicit ens nō conuenire ſecundū rationem.Dicendū eſt entis eſſe aliquam rationem,eam tamen Porphyrium nō vocaſſe rationem, quòd eſſet multiplex, nec ex æquo omnibus competeret.

Dicūtur decem generaliſſima,decem prima capita:quibus reſpondent decem quæſitiua, & à quibus cætera alia deriuantur.

Species vltimę hominibus videntur eſſe infinitę,ſed ſecundum ſuam naturam certo numero ſunt concluſæ:ſicuti magnus exercitus nobis incognitus, infinitus eſſe videtur.

Indiuidua hominibus & naturæ infinita ſunt , propter eorū continuam generationem,finita tamen actu.

Obiectio. Conſenſu omnium mathematicorum numerus in infinitum creſcit , quemadmodum igitur indiuidua dicuntur incerta & infinita quòd continuo generantur:ſic ſpecies infinitæ erunt, quia qualibet numeri ſpecie data maior dari poteſt.Reſpondendū eſt aliter atque aliter numeri ſpecies & indiuidua,rationē infiniti ſubire.Datur enim prima ſpecies numeri vt binarius.indiuidua verò verſus principiū & finem infinita ſunt.Ariſtot.ſanè non datur primus homo,nec vltimus dabitur.

QVAPROPTER VSQVE ad ſpecialiſſima à generaliſſimis deſcendentes iubebat Plato quieſcere]. Ariſtote . tametſi Platonis diſcipulus eſſet,oppoſitum tamen philoſophandi ſequutus eſt modū.Plato ſiquidem diuinus dictus eſt,quia à diuinioribus ad res humanas, à natura notioribus ad imperfectiora & ignotiora deſcenderet.Ariſto.iccirco humanus & naturalis dictus philoſophus alium procedendi modum ſeruauit . Cum enim mole carnea intellectus noſter obruatur, res humanæ & magis ſenſibus obuiæ nobis erunt faciliores . Itaque in prædicamentis faciendis à generaliſſimis exordiebatur Plato,& per media ad ſpecialiſſima vſque deſcendebat neglectis indiuiduis,propter eorum inconſtantiam & incertitudinem.Ariſto.ediuerſo à ſingularibus inchoabat,multa ſingularia in vnam ſpeciem colligens,& multas ſpecies in vnum genus.

Modus philoſophandi Peripateticus talis mihi videtur fuiſſe.Rebus pręiacētibus & in ſua naturali conſtitutione remanentibus,ſolus hominis animus omnia proſecutus eſt, rebuſq́ue ſingulis vocabula

vocabula impoſuit.prius enim erant res quæ ſua ſimulachra & imagines ad ſenſus organa mittebant.Sicut diuerſarum rerum ſimilitudines in ſpeculo terſo optime recipiuntur:ſic in organo cuiuſlibet ſenſus idola. Species autem in ſenſibus latentes, per quoſdam meatus & quaſi canales, aut feneſtras ad intellectus aciem veniunt, quæ etiam rebus abſentibus in ipſo intellectu conſeruantur.Ob hanc itaque cauſam homo dicitur μικρόκοσμος,hoc eſt,paruus mũdus. Quemadmodum enim mundus ſuo ambitu omnia comprehendit, & omnium rerum plenitudine perficitur: Sic intellectus humanus omnium rerum ſimilitudines recipit.Porrò huiuſmodi ſimilitudines dicuntur conceptus, quibus mens voces impoſuit quæ etiam res ſignificarent: ob quod voces dicuntur primò impoſitæ,& rerum ſignificatiuæ.Adhæc cum intellectus ſingulis rebus vocabula appoſuiſſet,à particularibus ad vniuerſalem naturam aſcendere cœpit,vt eorum quæ ſunt poſſet cognitionem habere.

Multitudo indiuiduorum nullo modo poteſt cognoſci(omne ſiquidem infinitum eſt ignotum) quodlibet tamen indiuiduum ſeorſum captum poteſt cognoſci, licet non ſciatur propriè.ſcientia enim vt vult Ariſtot.eſt neceſſariorum & vniuerſalium, non corruptibilium & ſingularium.

QVI IGITVR deſcendũt ad infima, neceſſe eſt diuidentes per multitudinem ire]. Actus & potentia ſecũdum Ariſtotelem ediuerſo ſe reſpiciunt. Nam quantò vnum actu ſuperat aliud, tantò potentia vincitur. Cognoſcimus autem actum definitione, compoſitione & deſcriptione: potentiam verò diuiſione. Superiora igitur dicuntur actu eſſe in ſuis inferioribus. Inferiora ſecundum potentiam in ſuperioribus,vt facillimum eſt videre ex ſequentibus,vbi ſcribet Porphyrius, differentias actu eſſe in ſpeciebus:facultate verò & potentia,in genere. Quare genus generaliſſimum actu eſt ſimpliciſſimum,quia nihil ſupra ſe habeat,ſed potentia maximum.deinde ſubalternum quantò fuerit communius,tãtò actu ſimplicius,& potẽtia compoſitius: indiuiduum maximè vnum ſecundum potentiam,commune verò ſecundum actum.Deſcendentes igitur à generaliſſimis ad ſpecies vltimas dicuntur ire per multitudinem,quia genus quod vnum eſt,per multas differentias diuidunt: ex quibus generi additis, colliguntur medij gradus. è contrario aſcendentes ab infimis ad ſuprema multitudinem colligunt in vnum actu,quòd multa inferiora ſubaccipiunt:ex quibus quod eſt ſuperius, colligitur tanquam gradus.

Species & quicquid aliud commune,collectiuum eſt multorum in vnam naturam,quòd multis rebus quas ſignificat vnam rationem,ſecundum quam de omnibus prædicatur,accommodat. diuiſiuum autẽ eſt ſingulare,quoniam in ſuperiori eſt potentia,& omnis diuiſio per minus communia fiat.Item genus magis collectiuum,quoniam vna ratione indiuiduis & ſpeciebus conuenit.

Omnes homines ſunt vnus homo,participatione formæ quæ ſpeciem componit, quia conueniunt in humanitate.

ASSIGNATO genere & ſpecie,quid ſit vtrumque].Vult genus ſemper prædicari de ſpeciebus, quòd ſit vniuerſalius & cõmunius,diuidaturque in multas ſpecies, de quibus tanquã de membris diuidentibus dicatur.

OPORTET enim æqua de ęquis prædicari]. Porphyrius quaſdã leges nobis præſcribit, quibus cognoſcitur quid naturalis ſit prędicatio & quid contra naturã.Eſt autẽ prædicatio vera & affirmatiua,alicuius de aliquo enunciatio.Apta prædicatio ſiue naturalis, Cõmentatori & Philopono & Themiſtio fit,cum ſuperiora de inferioribus,propria & accidẽtia de ſubiectis dicuntur. Per oppoſitum,cum inferiora de ſuperioribus,aut ſubſtantia de accidentibus contra naturam ineptę que fiunt prædicationes,quas contendit reiiciẽdas eſſe Themiſtius:cuius ratio hæc dari poteſt.In propoſitionibus prædicatum vicem ſubit formæ,ſubiectum materiæ. habitudo verò inferiorum ad ſuperiora,ſubiectorum ad accidẽtia propria & cõmunia,eſt habitudo materię ad formam.nam ſuperiora continent,inferiora continentur.ſed reſpectus continentis ad contentum, eſt formæ ad materiam,vt dicitur in quarto Phyſi.4.cap.& primo de generatione & corruptione.ſimiliter ſubiecti ad accidentia eſt,materiæ ad formam,vt vult Cõm.in.4.metaphy.

Aequa de æquis,non eſt vtrunque conuertibilium de vtroque prædicari, ſed alterum duntaxat quod eſt prædicabile:vt propriũ prædicatur de ſpecie,cum qua recurrit. Species verò de proprio minimè.prætereà non quæcunque conuertuntur,apte de ſeinuicẽ prædicãtur,vt enſis & gladius.

Maiora prædicata dicuntur,quæ vniuerſaliter de ſubiectis dicuntur,prætereà de aliis.

Hæc regula intelligenda eſt de his quæ per ſe prædicantur,id eſt genere,ſpecie, differentia, & proprio. deficit in accidentibus,quæ aliquando ſunt maiora,aliquando minora. vel dicendum eſt accidentia maiora eſſe,ſi ad ſubiectum cui primò conueniunt referantur.ſcribit enim Porphyrius in ſequentibus,accidens primò eſſe in indiuiduo.

DE QVIBVS autẽ ſpecies prædicatur].De indiuiduis non tantùm proxima ſpecies aptè prædicatur,verùm etiam omnia ſpeciei genera ſiue ſubalterna,ſiue generaliſſima.

Hæc quæ ſcribit Porphyrius confirmantur regula anteprædicamentali, ſcilicet, quãdocunque aliquid de aliquo ſubiecto prædicatur, quicquid dicitur de prædicato, dicitur & de ſubiecto.

De genere dixit vel generibus, ſi plura ſint media & ſubalterna, quoniam inter generaliſſimũ & ſpecialiſſimum in quibuſdam categoriis vix plura media reperiuntur.

INDIVIDVA autem dicuntur huiuſmodi]. Vox ſingularis & res ſingularis indiuidui nũcupationem ſortiuntur: vox, quoniam pluribus non inſit, nec in plura diuidi poſſit eius ſignificatio: res verò, quòd proprietatibus variis conſtet, quarum collectio nulli alteri adeſt. Proprietates autem ſunt forma, figura, locus, tempus, ſtirps, patria, nomen & alia accidentia: vt Ariſtoteles philoſophorum princeps, Nicomachi filius, diſcipulus Platonis, Alexandri magni præceptor, voce gracili fuit, cruribus exilibus, paruis oculis, anulis & tonſura vtens. Tredecim annos fœliciſſime in Lyceo docuit: communi Philoſophorum inuidia accuſatus in Chalcidem inſulam fugit. Cęterùm indiuidua primò non differunt proprietatibus, ſed per accidens. Nam per ſe differũt forma & materia. ex quo manifeſtum eſt accidens non primò indiuiduum conſtituere.

Auicenna ſcribit deum omnium rerum fabricatorem, complexionem vnicuique indiuiduo propriam dare, beatus tamen Auguſtinus in libro de ciuitate dei, vt refert cõciliator, ſcribit duos ita ſimiles extitiſſe geminos vt vno ridente rideret alter, vno ęgrotante, ęgrotaret alter. cuius cauſã interrogatus Hippocrates hãc reddidit, quòd ex eodem patre, aluo ſimili, & nutrimento fuiſſent producti & educati. Poſſidonius Aſtrologus ad ſtellas retulit. ſimile narrat Almanſor de duobus gemellis qui cùm penitus ſimiles eſſent, matrem decipiebant. cum enim eſſet omnium bonorum penuria, & omnia carè emerẽtur & venderẽtur, vnus illorum ad matrem accedebat, vt panem acciperet: quo accepto, poſt breue tempus elapſum ad matrem redibat ſimulans ſe eſſe fratrem, qua in re mater fallebatur. Hoc etiã narrat Albertus Magnus in libro nono de animalibus. Itẽ Quintilianus declamatione octaua de duobus geminis quibus erat pater & mater, qui cũ ęgrotare cœpiſſent, medici dixerunt eundẽ eſſe langorem. Deſperãtibus reliquis promiſit vnus ſe alterum ſanaturum, ſi alterius vitalia inſpexiſſet. concedente patre execuit infantem & vitalia inſpexit, ſanato vno accuſatur pater ab vxore malę tractationis. ſed reſpondendum eſt omnia hæc vera eſſe, & complexionem vnius indiuidui diuerſam eſſe a complexione alterius, quemadmodum forma vnius diſtinguitur à forma alterius.

TOTVM eſt quiddam genus]. Rodolphus 9. c. 1. li. ſcribit genus ſimile quiddam habere cum toto, quòd quemadmodum genus ſpecies ſuas comprænhendit, ita totum intra ſe partes ſuas complectitur, verùm totum variis modis apud Philoſophos ſumitur. quoddam eſt totum integrale vt homo qui ex partibus homogeneis & diſſimilaribus conſtat. eſt & totum ſecundum facultates, vt anima propter varias vires, totũ nuncupatur. Tertiò omne ſuperius dicitur totum vniuerſale, partes cuius ſunt vulgò ſubiectiuæ dictę. Poſtremo definitum totũ dicitur, quoniam partibus quibuſdã definitiuis explicatur. Ex quibus manifeſtum eſt, idem eſſe totum & partem, vt animal totum eſt vniuerſale & pars definitiua.

Pars poteſt retinere ſuum nomen reſpectu totius. vt autem totũ dicatur, habeat plures partes oportet. meritò igitur Porphyrius inquit ſpeciem eſſe partem alterius, totum verò in aliis.

DE DIFFERENTIA.

Differentia autem communiter, propriè, & maximè propriè dicatur. Communiter enim diſtare aliud ab alio dicitur, quod affectione quauisvel à ſeipſo, vel ab alio differt. Differt enim Socrates à Platone affectione quadam, atque adeò ipſe à ſe ipſo & puero, & viro, & agente aliquid, & otioſo: idque in iis ſemper commutationibus verſatur, in quibus rei modus & affectio ſpectatur. Propriè autem differre aliud ab alio dicitur, cùm accidente eo quod ſeparari non poteſt, aliud ab alio ſeiungitur. Accidens verò ſeparari nõ poteſt, veluti naſi curuitas, vel oculorum cæſitas, vel cicatrix cùm ex vulnere occalluerit. Maximè autem propriè ſeiungi ab alio aliud dicitur, cùm ſpecifica differentia ſeparatur: quemadmodũ homo ab equo ſpecifica differentia differt, rationali qualitate. Omnis igitur differẽtia omnino id cui accidit commutat, atque alij diſſimile facit. Verùm quæ communes ac propriæ ſunt, rem immutãt: quæ verò ſunt maximè propriæ, eam penitus aliã

efficiunt.

efficiunt. Nam quæ rem aliam faciunt, ſpecificæ differentiæ vocantur: quæ autem cõmutant, omnino differentiæ. Animali enim addita rationalis differentia, id aliud facit, & ſpeciem animalis conſtituit: At verò motus differentia, ab eo quod non mouetur rem modò immutat. Quare hæc quidem aliud facit, illa verò commutat ſolùm. Differentiis igitur iis quæ rem planè aliam efficiunt, generum in ſpecies diuiſiones fiunt, & definitiones traduntur, quæ ex genere conſtant, & huiuſcemodi differentiis. Ex iis autem quæ ſolùm cõmutant, diſtinctiones ſolùm, atque affectionis immutationes conſtituuntur. Itaque, vt rem paulò altiùs repetam, dicendum eſt, differentiarũ poſſe alias ſeparari, alias verò nõ poſſe. Moueri enim, & quieſcere & ęgrotare, & valere, & quæcunque his aſſimilia ſunt, ſeparari poſſunt. At verò aduncis naribus eſſe, aut ſimum, aut rationale, aut irrationale, ab eo in quo ſunt ſecerni non poſſunt. Porrò earum quæ ſeparari non poſſunt, aliæ ſunt per ſe, aliæ verò per accidens. Nam rationale per ſe in homine ineſt, mortale item, & ſcientiæ eſſe capacem: at verò aquilinum eſſe, aut ſimum, per accidens, ac non per ſe. Quæ igitur alicui per ſe conueniunt in ſubſtantiæ ratione ſumuntur, remq́ue aliam efficiunt: quæ autem per accidens, nec in ſubſtantiæ ratione accipiuntur, nec rem aliam faciunt, ſed immutant. Prætereà quæ per ſe adſunt, nec magis nec minus capiunt: quæ verò per accidens, quanquam ſeparari poſſunt, cõtentionem tamen atque remiſſionem recipiũt. Nam nec genus magis & minus de eo cuius eſt genus dicitur, nec generis differentię, quibus ipſum in membra ac partes tribuitur. Siquidem hæ rei cuiuſque rationem complent. Eſſe autem vnicuique vnum & idem neque contentionem, neque remiſſionem recipit. Naſum autem habere aquilinum, aut ſimum eſſe, aut quodammodo colore imbutum, & amplificari & minui poſſunt. Cùm igitur tria differentiarũ genera conſyderentur, cumq́ue ſeparari aliæ poſſint, aliæ non poſſint: ac rurſum inter eas quæ ſeparari non poſſunt, aliæ per ſe, atque aliæ per accidens cohæreant: inſuper earum quæ per ſe ſunt, aliæ eius modi, vt ex iis genera in ſpecies partiamur, aliæ vt ex iis ea quę diducta iam ſunt, in ſpecies formemus. Veluti cùm per ſe differentiæ omnes huiuſmodi animalis ſint, animatum, ſenſus rationiſq; particeps, & expers rationis, mortale & immortale: animati quidem & ſenſus participis differentia, animantis conſtituit naturam (eſt enim animans ſubſtantia animata ſenſus particeps) mortalis verò & immortalis differentia, ac rationalis & irrationalis, animal diuidentes differentiæ ſunt. Ex iis enim genera in formas diducimus. Cæterùm hæ ipſæ diuidentes differentiæ, genera complent, ac ſpecies conſtituunt. Diuiditur enim animal rationis cõpotis, atque expertis rationis differentia, & rurſus mortalis & immortalis. Sed rationalis & mortalis differentiæ, hominem conſtituunt: rationalis verò & immortalis, Deum: mortalis & irrationalis, animantia ratione carentia. Sic etiam cùm ſupremam ſubſtantiam animati atq; inanimi, ſenſilis & ſenſus expertis differentiæ partiantur: animata & ſenſilis cõpoſitę

cum

cum ſubſtãtia,animal expleuerunt:animata verò & ſenſus expers,plantam. Quoniam igitur eædem ratione quadam acceptę genus conſtituunt,atque alia intellectæ diuidunt, idcirco ſpecificæ omnes appellatæ ſunt : atque his maximè opus eſt,& ad generum diuiſiones, & ad definitiones reddendas: ſed non iis quæ per accidens ſeparari nõ poſſunt,nec magis iis quę ſunt ſeparabiles,quas etiam definientes aiunt. Differẽtia eſt qua ſpecies genus ſuperat. Homo enim ratione & mortalitate vincit animal , quoniam animal nihil horum eſt(vndénam enim differentias ſpecies haberent?)neque contrarias omnes habet,quoniam in eodem contraria ſimul inerunt . ſed quẽadmodum putant poteſtate ,quidẽ omnes habet ſibi ſubiectas differentias, actu verò nullam . Ac ſic neque ex iis quæ nulla ſunt quicquã efficitur,nec in eodem formæ inerunt contrariæ . Definiunt autem eam & hoc modo, Differentia eſt,quæ de multis iiſque ſpecie differentibus in eo quod quale quid eſt dicitur.Nam rationis particeps & mortale cùm de homine dicantur,in quæſtione ea dicuntur qua quale quidque ſit inueſtigatur, non in ea qua quid quidque ſit quæritur. Cùm enim quid ſit homo interrogati fuerimus, aptè animal reſpondebimus:cùm verò quale animal ſit requiretur à nobis , rationis particeps & mortale accommodatè reſpondebimus . Nam cùm res ex materia conſtent & forma, aut ex iis quæ proportione materiæ ac formæ dicuntur:quemadmodum ſtatua ex materia quidem eſt ære , ex forma autem figura:ſic & homo communis & ſpecialis,ex genere quidem proportione materiæ , & ex differentia proportione ſpeciei conſtituitur. Totum autem hoc,animal rationale mortale,homo eſt,vt illic ſtatua. Deſcribunt autem hoc etiam modo differentiam,Differentia eſt,quod natum eſt ſeiungere ea quæ ſub eodem genere continentur.Rationale enim & irrationale hominem & equum,quę ſub eodem genere poſita ſunt,animali, diuidunt.Et hoc modo eam explicant.Differentia eſt quo differunt ſingula.Nanque homo & equus inter ſe genere non differunt (nam nos & equi animantia ſumus)ſed adiectum rationale nos ab illis diſtinxit.Prætereà rationales ſumus & nos & Dij, ſed mortale cùm acceſſit , nos ab illis ſeparauit.Qui autem accuratius de differentia exquirunt , dicunt non quodlibet eorum quæ ſecernunt ea quæ ſub eodem genere collocantur differentiam eſſe , ſed quod ad eius & naturam aperiendam pertineat , quidque ſit pars rei.Neque enim natum eſſe ad nauigandum,hominis eſt differentia,etſi ſit proprium hominis : dicamus enim licet ,animalium apta quædam eſſe ad nauigandum,diuidentes hominem ab aliis, ſed tamen natum eſſe ad nauigandum non explet eſſentiam, nec eius eſt pars:ſed aptitudo quædam ſolùm,propterea quòd eiuſmodi non eſt, quales ſunt quæ ſpecificæ differentiæ nuncupantur.Erunt ergo ſpecificæ differentiæ , quæcunque aliam efficiunt ſpeciem,& quæcunque in eo quod quid erat eſſe accipiuntur. Ac de differentia quidem ſatis ferè diximus.

Ἀναλογία φυσική

πλατωνίζει.

Priorem eſſe ſpecie differentiã,quamque ob cauſſam de ſpecie prius diſſeruerit,iam diximus. Nunc igitur (vt ad inſtitutum accedamus) de differentia diſputat , ac ea de qua antè diximus regula

regula adhibita,varias in primis differentiæ ſignificationes perſequitur. Cæterùm id quòd planiùs intelligas, ſic accipe. Differentia quædam eſt rerum inter ſe diſcrepantia atque diſſimilitudo: ea igitur aut ſeparari poteſt ab eo in quo eſt,in eóque caſu & fortuitò inhæret,aut non poteſt. Verbi gratia diſtincti inter ſe ſunt aliqui,quòd hic fortaſsè ſtet,ille ſedeat,poteſtq; qui ſedet ſtare,ac contrà qui ſtat ſedere:atque hoc illi inter ſe diſcrimine ſecernuntur.Hęc ergo differentia vulgaris tenuiſque nominatur,eámque communem Porphyrius appellat:quandoquidem diſtinctè in aliquo non hæret atque nititur: ſed in omnibus ratione communi, atque vniuerſa. Atque hæc quidem fortuita eſt commutatio,ac tolli de ſubiectis reuellíque poteſt.Quòd ſi ſeparari illa non poteſt affectio,aut ex ſe & vi ſua conuenit rebus,id eſt,ſubiecti eſſentiam complet atque efficit:aut caſu ac fortuitò,id eſt,momenti nihil ad vim & naturam rei conſtituendam habet. Iam aduncitas naſi,& narium,vt ita dicam,ſimitas,ac oculorum cæſitas, quæque huius ſunt notæ, euelli diſtrahíque nõ poſſunt.Alius enim eò ab alio quòd ſimus ſit,aut naribus aduncis, ſeparatur. Hæ autem fortuitæ ſunt affectiones,propterea quòd ſubiectorum naturam non conſtituunt.Eſſe enim non ſimus Socrates potuit,& Socrates tamen eſſe.Separari verò non poſſe dicuntur,quia ſeiungi à ſubiecto nõ ſolent:quas proprias Porphyrius appellat,quoniam in vno aliquo ſimitas definitè ineſt.Porrò fixa ac conſtans differentia, quæque fortè & temerè in re non hæret:ſed ſubiecti vim naturamque ac ſpeciem abſoluit,rationis eſt participatio,mortalitas. Nam inter hominẽ & beluam hoc maximè intereſt,quòd hæc cùm nulla vi rationis vtatur tantum quantum ſenſu mouetur,ad id ſolùm quod adeſt quodque præſens eſt ſe accommodat, paulùm admodum ſentiens præteritum & futurum: Homo autem quòd rationis eſt particeps,eius vi rerum cauſas videt, earumq; progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignorat.Hanc ergo propriam maximè diſtinctionem vocauit.Itaque differentiarum ratio omnis ſic paucis includi poteſt, vt communes quædam dicantur, propriæ quædam, maximè propriæ aliæ,& in intimo naturæ poſitæ receſſu.Cõmunes ſunt,quę caſu & fortuitò adſunt, ac ſeparari à rebus poſſunt.Propriæ,quæ caſu ac temerè rebus conueniunt, nec poſſunt à re ſubiecta ſeparari.At verò quæ ſeparari non poſſunt, & ſubiecti eſſentiã complent atque efficiunt, quæque ex ſe & vi ſua rebus competunt,hoc modo propriæ maximè vocitantur. Quia in iis maximè qui ſe ſapientię ſtudio dediderunt elaborant,quæ ad eam philoſophiæ rationem proficiunt, quæ ad rerum naturas partiendas,& definitione explicandas pertinẽt:nunquam autem à caſu, ſed à naturalibus diuiſio definitióue ducitur, cumque naturalis ſit quæ propria maximè nuncupatur, idcirco de ea iure ac meritò diſſerit.Atque hęc quidem prima eſt differentiarum diuiſio.Rem autem à capite arceſſens,alteraque diuiſione adhibita,ſic ait, Differentiæ ſubiectum aliæ commutãt & afficiunt,aliæ alium omnino eum in quo inſunt,efficiunt. Ac vulgares quidem & propriæ immutant(nam ſtare ac ſedere,itemque ſimum eſſe,& naribus aduncis, immutationem quãdam ſuo velut ambitu complectuntur)rem penitus aliam penitiſſimæ efficiunt,aliud enim eſt rationis cõpos,atque aliud expers rationis.Immutat enim id omne,quod rei diſſimilitudinem quandam varietatemque excitat:aliud atque diuerſum reddit,quod omnino aliũ eum in quo inſit,efficit.Nam particeps rationis animal,aliud ab eo quidem eſt quod ratione caret:qui autem ſtat, ab eo qui ſedet non item:ſed illi modò aliqua ex parte diſſimilis.Eodemque modo ſimus, ab aquilino diſtinguitur.Sed cùm his tribus modis differentia notetur(communes enim aliæ,aliæ propriæ,atq; alię maximè propriæ ſunt)tamen de iis quę maximè propriæ ſunt,apud Philoſophos tãtùm oratio eſt. Nam vulgares atque propriæ ad generum nihil diuiſiones conferunt.Nemo enim ſic animal partitur, ſedere vt aliud atque aliud ſtare pronunciet, quoniam ſic vniuerſa haudquaquam complectitur.Quinetiam nec vt dicat ſimum aliud eſſe,atque aliud aduncis naribus, ob eam ipſam cauſſam.Atqui ſi nihil ad generum diuiſiones conſtituendas hæ conducunt,nullus planè earum in rerum naturis definiendo explanandis vſus erit. Quamobrem penitiſſimæ ſolæ maximeque propriæ,vtiles ſunt.

ET MAXIME propriè dicatur].Cùm dicatur ait,ſe vocabulum hoc extruxiſſe indicat.Nam in more id veterum poſitum fuit,vt cùm voce vſitata quapiam, ac populari cõſuetudine trita vterentur,dicitur,vſurparent.Cùm verò vocabulum ipſi aliquod cudiſſent,dicatur,dicerent.

DIFFERT enim Socrates à Platone,&c.]Non enim quia homines ſunt,commutatione aliqua inter ſe diſtinguuntur.Quia verò hic ſtat:ille ſedet,differunt.

IDQVE in iis ſemper commutationibus verſatur,in quibus rei modus & affectio ſpectatur]. id eſt,Differentiæ hæ caſu & fortuitò in rebus conſyderantur,cuius loco in cõmutationibus ſpectari eas dixit,in quibus rei modus & affectio cõſiſtit.Accidens enim in quæſtione ea dicitur, qua qualitas & modus inueſtigatur.

QVEMADMODVM homo ab equo ſpecifica differentia differt].Id eſt,qualitate ea quæ ſpeciem complet,atque efficit.Nam ſi cum mortali & rationis compote animal cõponatur, emerget homo

homo. Si verò cum mortali & ratione carente animal committatur, equus, & canis, ac cætera rationis expertia animantia constituentur. hæ ergo differentiæ cum generibus cōpositæ atque coniunctæ, species efficiunt: ob eamque caussam procreatrices omnes formarum sunt appellatæ.

DIFFERENTIARVM enim aliæ immutant, aliæ]. Diuisionem aliam differētiarum tradit. Nam aliæ, inquit, eum in quo insunt dissimilem alij faciunt atque commutāt, aliæ omnino alium efficiunt. Ac quæ alium quidem reddunt, ex se & vi sua conueniunt rebus: quæ autem immutant, casu & fortuitò. Atque etiā quæ fortè ac temere adsunt, secerni à re subiecta possunt. Eas verò secerni posse aio, quæ communis, atque propriæ vocitantur. Possum enim Socratem, vt integer, atq; incolumis permaneat, sine narium aduncitate, tenui aqualiculo, atque comatulum intelligere. At verò eam quæ est propria maximè, ab eo ne intelligentia quidem & ratione possum seiungere. Siquidem intelligi homo sine ratione non potest, quoniam tum hominis natura funditus labefactatur atq; interit. Omnes enim homines & mortales sunt, & vi rationis instructi. Quamobrem qui simus sit, aduncis esse naribus, vt idem homo perstet atque permaneat intelligere possum: hominem autem sine ratione, aut mortalitate non possum. Nam tùm homo esse desinit. Quocirca quæ communes & propriæ differentiæ nominantur, separari ab eo in quo insunt, possunt. Cùm enim qui stabat sederit, alius effectus nō erit, sed de statu priore deiectus, atque immutatus. Id quod etiā Homerus Poëta carminibus tradidit, cùm ait,

Α'λλοῖός μοι ξεῖν' ἐφάνης νέον ἠὲ πάροιθεν.
Esse videre hospes, multum mutatus ab illo
Dudum qui fueras iuuenili ætate decorus.

Non enim alium eum esse, sed mutatū dixit. Verumenimuerò nec si qui simus sit, aduncis esse naribus intelligatur, alius propterea repente existet, sed immutabitur. Nam esse idem potest, non tamen simus. Cæterùm ex iis quæ rem penitus aliam efficiunt, species ac formæ oriuntur. Siquidem rationis particeps, non ab equo hominem mutatum, sed alium planè reddit. Alia enim vocamus, quæ naturâ differunt, vt paulò antè diximus: quo in genere sunt, homo & equus.

DIFFERENTIIS igitur iis quæ rem planè aliam efficiunt, generum in species diuisiones fiunt]. Dicimus enim animal rationis esse aliud particeps, atque aliud expers: mortale aliud, atque aliud immortale: atque ex iis definitiones conficimus. Hominem enim animal esse mortale rationis particeps, mentis atque scientiæ capax, dicere consueuimus.

ITAQVE, vt rem paulò altiùs repetam, dicendum est]. Hinc perfectiorem diuisionis partem orditur, à quodam quasi initio, quod valeat atque pertineat ad differentiarum inter se rationes separandas. Itaque repetito paulò altiùs principio, differentiarum dicimus seiungi alias posse ab eo in quo sint, alias non posse. Hocque discrimine vulgares à propriis, penitissimisque secernuntur. Insuper differentiarum immutant hæ, subiectum: illæ aliud prorsus efficiunt. atque hoc quidem modo à communibus ac propriis propriæ maximè distinguuntur. Ergo, vt paucis absoluam, illud quidem iam perspicuum est, ex oppositionibus his quibus inter se differentiæ dirimuntur, priores sex copulationes enasci: quarum duæ constare ex confesso non possunt. Non enim quod separari potest, & quod non potest, eadem simul ratione cohærent, aut quod commutatum atque affectum est, & quod prorsum est aliud. Porrò ex reliquis coniunctionibus quatuor, cohærere vna non potest, nempè quæ abesse potest, ac aliam rem efficit. Reliquæ autē tres possunt consistere. Nam quæ separari possunt atque subiecta leuiter immutant, communes sunt: quæ tolli de subiectis reuelliq; nequeunt, atque rem aliā efficiunt, maximè propriæ: quæ secerni non possunt, & eum in quo sunt commutant, accidentariæ. Ac communis quidem est differentia, sedere: propria, nasi curuitas: maximè propria, rationis, & participatio & carentia. Sed videri potest alia esse earum quæ separari possunt, quæque rem aliam efficiunt esse distinctio. Verùm hæc certè quidem constare copulatio non potest. Nam ratio homini ex se, & vi sua cōuenit. Quo enim modo homo est, rationis etiam est particeps: ex quo efficitur, rationis homines omnes esse participes. At verò nasi curuitas, vel atror, vel stare, queque huius sunt generis, per se non adsunt. Non enim quia homo est, naso est incuruo, aut ater, cæteraque omnia generis eiusdem. Sic enim homines vniuersos esse atros, aut aduncis naribus esset necesse. Itaque etsi niger quispiam, nasóue incuruo nō est, nihilo minus tamen homo est. Atque ita fit, vt nulla ex his differentia id in quo inest aliud efficiat, sed commutet. Ratio autem cùm vi sua in hominē cadat, alium eum facit: quod cum immutante constare nō potest.

QVAE IGITVR alicui per se conueniunt, in substantiæ ratione sumuntur]. In substantiæ ratione, id est, in oratione quę quid sit, id de quo agitur ostendit: hoc est, in definitione qua rei vis & natura explicatur, adhibentur. Nanque ex generibus & constituentibus differentiis omnis cōstat conficiturque definitio, id est, ex differētiis iis quæ species complent, & efficiunt: quæque nec imminui possunt, nec amplificari. Nemo siquidem magis minúsue mortalis dicitur, vt nec rationis

particeps.

particeps.Parui enim pueruli æquè ſunt ratione prædíti:quanquã inſtrumento quò minus rationi conſentaneis muneribus fungantur impediuntur. Atque (vt ſummatim complectar) illud etiã intelligendum eſt,ea & contentionem capere & remiſſionem,quæ cùm contraria ſint,in eodem tamen ſubiecto nituntur,quæque inter ſe coëunt ac commiſcentur. Veluti album aliud alio albius dicitur,& minus album:& aliud alio magis minúſue atrum. Quãdoquidem ſubiectum idem aliàs candidum,atrum aliàs efficitur:hæcque(album puta ac nigrum)inter ſe committuntur,cõtingitq; vt quibuſdam in locis puriora illa,in aliis compoſitiora exiſtant. In naturis autem magis minusq; dici non putant oportere,quippè cùm hoc etiam ſubſtantiis inſitum ſit,vt ipſis nihil ſit contrariũ. Iam rationis particeps & expers in eodem non inſunt ſubiecto.Itaque ſi quis quærat quamobrem Ariſtoteles in Categoriis dixerit,Subſtantia autem eſt,quæ & proprie,& primùm, & maximè appellatur,(maximè enim dixit, quaſi intentionem remiſſionemque eſſentia recipiat) primùm quidem reſpondemus hæc illum ad noſtram cognitionem accommodatè præcepiſſe. Nam naturam eam atque ſubſtantiam quæ primùm & maximè appellatur,indiuiduam vocauit: propterea quòd hæc facilius à nobis cognoſcitur,ac prima ratione compræhenditur. Ab hac enim cum ætate atq; eruditione proceſſeris,ad ſecundam pergendum eſt, quæ in formis atque generibus verſatur. Ad hæc etſi dederit quiſpiam magis minúſue in naturis ineſſe,non ad eas quæ latitudinis,ſed quæ altitudinis proportione ſpectantur,eſſentias,illud magis aut minus accedere dicet. Nam homo non alio homine magis minuſque hominis, aut rationis compotis appellationem obtinet: quinetiam nec equus boue magis eſt animal,aut iis etiam ipſis homo. Cæterùm in iis quas iuxta altitudinem intuemur,ſpectari id quodammodo poteſt. Superiores enim naturæ ſunt eò inferioribus planiores,quò præſtantioribus rebus perfruuntur. Exempli gratia rationis particeps magis in intelligẽtia,ac minus in animo verſatur,ac magis in angelis, minus in corporibus cæleſtibus:ſi modò & animata ſunt ipſa,& ratione prædita, tametſi magis in iis quàm in nobis. Præterea eſſentia in animali magis quàm in homine ineſt,magiſque in iis. Eodemque modo animal in homine eſt magis quàm in Socrate.Etenim ſi non citra medium eſſentia Socrati cõuenit, ſed per animal interiectũ, ex hocque rurſum per medium hominem ei competit,perſpicuum eſt,ea quę primùm ac ſine medio conſecuta ſunt quippiam,iis quæ ſecundariò & cum medio id adepta ſunt,idipſum quod ſortita ſunt,magis habere. Quare dictũ præclarè eſt, eſſentias ęas quæ ex latitudinis ratione ſpectantur,nec amplificari nec imminui poſſe. Porrò autem naturæ quæ in altitudine verſantur,intentionem remiſſionemque recipiunt. Nam ſi quæ latitudinis proportione conſyderantur, augeri atque minui poſſent,eſſe idem earum à genere receſſus non poſſet,rationis participe, inquam, ac rationis experte,mortali & immortali.

QVAE VERO per accidens,quanquam ſeparari non poſſunt, contentionem tamen atq; remiſſionem recipiũt]. Contentionem & remiſſionẽ recipiunt,id eſt,amplificari, atque minui poſſunt. Vocabula verò hæc ſumpta à cytharæ fidibus metaphora,vſurpantur. Nam contenſæ illic fides ſtrepitum edunt vehementiorem,minorem remiſſæ. Hoc igitur modo contentionem, maiorem rei perceptionem appellant:remiſſionem,languidiorem. Illæ enim differentiæ vniuſcuiuſque explent rationem,quę naturam quoque conficiunt. Siquidem illę naturam definitiones perficiũt. eiuſdem verò rei,definitiones eædem ſunt. Non enim homo animal eſt aliàs mortale rationis particeps, aliàs verò minimè:ſed ſe ſic ſemper res ſine vlla mutatione varietateque habet, & nec intendi poteſt,nec remitti. Non enim homo quandoque animal magis eſt, rationis particeps mortale,ac quandoque minus.

AVT QVODAMMODO colore imbutum].Id eſt, candidum eſſe vel atrum & intendi poſſunt,& remitti. Alio enim aliud nigrore candoréve magis aut minus infici imbuiq; poteſt, itemq; magis eſſe ſimum,ac naribus aduncioribus.

CVM IGITVR tria differentiarum genera conſyderentur, cumque ſeparari aliæ poſſint]. Pollicitus eſt Porphyrius ſe de his aptiùs ad differendi rationem diſceptaturum. Vult itaque ex differentiis hinc docere quædam, quæ ad rerum naturas & partiendas, & definitione explicandas pertineant. Quamobrem ait inter differentias eas quæ ſpeciei efficiẽtes ſunt,alias eſſe quibus genera in partes & formas diuidimus:alias, quæ rem conſtituunt:non alius quidem atque alius, ſed eiuſdem. Nam hæ omnes quodammodo ſumptæ & intellectæ efficientes ſunt formarum:& certo quodam modo acceptæ,genera in ſpecies diducũt. Quippè rationis particeps, & expers rationis, mortale & immortale,animalis differentiæ ſunt,eæque genus in partes diuidunt. Nam in hęc ipſa animal finditur. Quòd ſi quæ committi inter ſe coniungique poſſunt, ſimul intelligantur, velut ratio & eius carentia,eædem hominem conſtituunt. Nam eius vim naturamque ac ſpeciem abſoluunt. Apparet ergo differentias eas quæ genera diſpertiunt,ad diuidendi viam atque rationem conferre,cùm ex hac generum in ſpecies diuiſiones oriantur:quę autem conſtituunt,ad rerum naturas

turas definiendo explanandas conducere: quoniam definitiones cum genere huiusmodi constituunt differentiæ. Porrò coniunctæ hæ atque inter se compositæ quatuor copulationes efficiunt, quarum cōstare treis possunt, vnica minimè: veluti ratio sit & eius carentia, mortalitas & immortalitas. Vides rationem cum mortalitate cohærere (est enim homo rationis particeps, ac Deus immortalis, rationis expers & mortalis, equus) esse verò immortale cum rationis experte non potest.

Sitne quippiā immortale, quod ratione uacet.

Siquidem ambigi de copulatione reliqua (rationis expertis inquā & immortalis) solet, sitne quippiam quod cùm ratione vacet immortale sit, cuiusmodi de Scylla quippiā videtur Homerus innuisse, cum his verbis scribit,

Odyss. μ.

ἀλλ᾽ ἀθάνατον κακόν ἐστι,
Ast genus immortale malum est,

an non? Nonnulli enim dæmoniorum rationis expertium quoddam genus inducunt, quod inferiore esse in loco situm aiunt, quodque exhorrescimus. Alij hoc ipsum etiam genus morti obnoxium esse autumant: quod enim immortale sit, id planè etiam ratione præditum esse. Itaque ad essentiam quoque accedamus, eademque comperiemus. Nam cùm hoc in loco duæ etiam oppositiones sint, sensus nimirum participis, atque expertis, animati & inanimi: cumque his cōsertis atq; coniunctis tres modò coniugationes cohæreant, constare reliquæ tres non possunt. Nam animatum & sensus particeps, animalis essentiam naturamque constituunt: animatum autem & sensus expers, plantam cōplent: inanimum & sensu carens, saxum. Inanimum porrò & sensus particeps nihil est. Nam quod sentiendi facultatem obtinet, multò etiam magis naturali est animo instructum. Non enim vbi naturalis sit facultas, ibi sensus est planè particeps: sed vbi sensus particeps, ibi omnino naturalis.

CAETERVM hæ ipsæ diuidentes differentiæ]. Vt enim quædam sunt species solùm, alia quæ & genera sunt & formæ: sic in differentiis. Differentiarum enim earum quæ speciem complent & efficiunt, genera hæ diuidunt solum, vt quæ primorum sunt generum: genera aliæ constituunt, vt quæ formarum sunt infimarum: cōstituunt aliæ atque diuidunt, vt quæ sunt τῶν ὑπαλλήλων: velut naturæ differentiæ (corpus puta & carens corpore) essentiam solùm partiuntur, non etiā constituunt: at verò hominis differentiæ, vt rationis particeps & expers rationis, hominis duntaxat vim naturamque ac speciem absoluunt: quæ autem mediis positisque penè subcenturiatim cōueniunt, vt animali mortale & immortale, rationis particeps, expersq; rationis, in formas & species genera partiuntur: atque constituunt, quoniam se habent superius quippiam. Nam contrariæ animal in membra diducunt, quandoquidem & in alias species funduntur, veluti mortale & immortale. In hæc enim animal diuiditur, quod idem in ratione & eius carentia contingit. Cæterùm quę interiectæ dissimilitudines sunt, formas ipsas atque species complent. Nam cum ratione si mortalitas componatur, emerget homo: si cum ratione immortalitas, angelus. si verò cum rationis carētia mortalitatem coniungas, equum effeceris: si rationis carentiæ atque mortalitatis distinctiones, animantes rationis expertes. Porrò rationis expers atq; immortale Porphyrius prætermisit, vt quę in varia eruditorum hominum contentione versentur, ambigaturque sintne ipsa natura, an non. Sunt enim, vt dixi, rationis expertia dæmonia quædam, eaque in ipso vniuerso locum inferiorem sortita, sepositaque ad cruciandos sceleratorum animos, quæ quidem à nonnullis immortalia, ab aliis verò morti esse obnoxia creduntur.

ATQVE iis maximè opus est ad generum diuisiones, atque definitiones reddendas]. Quonam pacto ad res definiendo aperiendas hæc conducant, etiam atque etiam vide. Docet enim voces vel in accidentium definitionibus naturales esse. Definitiones enim ex vocibus conficiuntur naturalibus: veluti, candor color est, qui visum disgregat. Maximè, autem adiecit, quoniā plerunq; propter humanam imbecillitatem huiusmodi distinctionum copia omni destituti, fortuitas, atque accidentarias assumere consueuimus. Quemadmodum in coruo nigrorem differentiæ vice vsurpamus, in cygno candorem. Veluti cùm equum definituri, animal eum esse ratione carens, aptum ad hinnitum, dixerimus. Proprium verò, cùm essentiam modò comitetur, naturalis differētiæ loco sumimus: propterea quòd naturalem equi differentiam aut asini reperire non possumus.

Quomodo speciem Peripatetici definierint.

QVAS ETIAM definientes, aiunt, Differentia est qua species genus superat]. Explicatis differētiæ significationibus, quoque de earum genere apud Philosophos oratio sit, hanc potissimum instituit descriptionem exhibere. Quocirca differentiam esse ait, qua forma & species genus superat. Homo enim ratione & mortalitate vincit animal. Porrò quæstionem quandam Porphyrius ex hac definitione ducit, eamq; deinceps dissoluit: quam antequam aggrediatur, pronunciata quædam perspicua sumit, quæ ἀξιώματα idcirco à Peripateticis nominata accepimus, quòd ex se & vi sua assensionem omnium fidemque mereantur. Ea verò sunt huiusmodi. Primùm, ex iis rebus quæ nullæ omninò sint nihil effici. Vt abacus ex ligno construitur: quod ratione quadā fuit (prius enim

enim lignum extitit)alia verò minimè : nondum enim abacus fuit . Nam ſi fuiſſet,fabro opus qui eum ædificaret non erat.Itemq́ue lapides modo quodam ſunt quatenus lapides,alio minimè,quia nondum ſunt domus.Iam quonam tandem modo,ex iis quæ nulla ſunt quippiam fiet?Secundum eſt,contraria in eodem ſubiecto eadem ratione ſimul temporis eſſe nõ poſſe, quoniam ſeſe mutuò quæ contraria ſunt tollunt. Quibus præpoſitis,ſeſe in hunc modum quęſtio habet.Neceſſe eſt aut à genere in formas,differentias transfundi , cùm in eo prius extiterint : aut ex iis rebus quæ nullæ ſunt aliquid oriri:eorum autem vtrunque fieri nõ poteſt.Si enim in generibus, quæ corpora ſunt, differentiæ collocentur, aduerſa in eodem ſubiecto eodem temporũ ordine inerunt:mortale puta & immortale,rationis particeps & expers rationis.Quod eſt abſurdum. Atqui ſi non ſunt in generibus poſitæ differẽtiæ,è quo tandem fonte in formas ipſas atq; ſpecies deriuabuntur?Sic enim aliquid ex iis rebus quæ nullæ ſunt naſcetur , quod fieri non poteſt . Non enim ab alio quoquam promanant,quandoquidem nihil eſt inter genus ac ſpeciem,pręter differẽtias,interiectum. Quare perſpicuum eſt , maximam in ratione hac dubitationem verſari . Eam verò Peripateticè demum Porphyrius diluit , dicitq́ue in re vna non poſſe contraria vno tempore re vera & actu conſiſtere , ſed vi ſua & facultate:quod quò planius intelligamus, dicamus ad hunc modum, aliud eſt rem quampiam facultate , atque aliud reuera & actu eſſe . Nam facultate id omne eſſe dicitur, quod imperfectum eſt , necdum in actionem promotum : quod tamen aptè prouehi ad actum poteſt , veluti infans facultate eſſe grammaticus dicitur , quia ſit aptus ad grammaticen percipiendam: qua ratione frigida aqua , facultate calida eſſe perhibetur , quia poteſt igni incaleſcere. Atque hoc quidem eſt , quod facultate eſſe dicimus . Actu autem grammaticus appellatur , qui eſt literarum cognitionem conſecutus , & grammaticas orationes exhibet . Ac frigida quidem aqua facultate eſſe calida ducitur:quæ autẽ calida iam euaſit,re vera & actu calida nũcupatur. Ait igitur eandem rem formas capere actu quidem cõtrarias non poſſe:at facultate,poſſe. Aqua enim tepida nec frigida,nec calida actu illa quidem eſt,ſed eſſe vtrunq; poteſt:itemq́ue infans facultate virtutem,ac vitioſitatem habet:& materia vi ſua contraria omnia complectitur.Cùm igitur genus materiæ rationem habeat,vt deinceps dicet,perſpicuum eſt in eo differentias omnes cõtrarias futuras.Præterea poteſt eadem res formas ſimul contrarias habere, altera dum ei facultate cõueniat, atque altera actu iam adſit.Nam quod actu frigidum eſt,facultate eſt calidum,ſi in calidum poſſit mutari. Quod quidem dictum à nobis proinde eſt,quia quædam ſunt quæ alterum modò ex contrariis poſſunt recipere.Nam gelu cùm frigidum ſit,nulla poteſt ratione calefieri, vt nec in ignem contrarium,poteſt frigus cadere.Atque etiam aër & aqua contraria viciſſim ſortiuntur, facultate enim contraria ſimul in eadem re ineſſe poſſunt . Quippè ni facultate vtrunque res eadem poſſit accipere,nunquam in eorum vtrunque cõmutari etiam poterit.Sed quoniam contraria vi ſua cõtinet,idcirco in ea ipſa viciſſitudine quadam diſſilit ac commutatur . Ita ergo fit,inquit,vt genera oppoſitas ſimul poteſtate differentias habere dicant , vtq́ue nec quicquam ex iis quæ nulla ſunt, fieri,nec in eodem eſſe ſimul formas contrarias poſſe ſtatuant.Hac dilutione Peripatetici vſi ſunt, quam & Porphyrius attulit.Propterea quod(vt dixi)libellum ad Ariſtotelis Categoriarum rationem vtilem conſcribit. Intelligendum eſt autem huic dilutioni Platonicos reluctari . differentias enim actu in generibus ineſſe dicunt,nec eſſe magnopere reformidandũ aiunt,quò minus re vera in generibus rationis particeps,ac expers rationis,mortale & immortale locemus. Quod quò facilius perſpiciatur,huiuſcemodi illi rationibus vtũtur. In primis enim opponi particeps rationis, rationis experti,negant,ac mortalitatem immortalitati.Namque oppoſita ſe mutuò obruunt atq; euertunt.Hæc autem tantum abeſt vt ſe interimant,vt ſe etiam inuicem cõſtituant. Nam ratio & immortalitas, mortalitatem ac rationis carentiam componunt:ſiquidem Deus qui & immortalis eſt & ratione præditus,mortalia ac ratione carentia animãtia fabricatur.Itemq́ue homo,quòd rationis eſt particeps,ea quæ ratione vacant tuetur atque cõſeruat:& angeli cum ratione ornati atq; inſtructi ſint,mortalium rationes regunt atque moderantur.Quare rationis particeps,experſq́ue rationis contraria non erunt, vt nec mortale & immortale . Quòd ſi contraria ea non ſunt , nihil ſanè obeſt,quominus in eodem genere ſimul inſint.Nam & ratione vacantes facultates(ira inquã & cupiditas,ac ſenſus,animuſq́; ratione præditus)ſimul in vno animante,homine,ſpectantur. Inſuper hoc etiam addunt,ea quanquam ſint contraria,nihil abſurdum tamen futurum in eodem ea ſi genere actu reponantur : propterea quod non vt in ſubiecto quopiam , ſic in corpore nituntur: ſed in quodam quod ſine corpore ſit.Vacat verò corpore genus:in corporis autem experte hærere poſſunt contraria.Ob eam enim cauſſam contraria cadere in idem ſubiectum non poſſunt , quòd eorum vnumquodque ſubiectum nititur occupare.Cùm autem diuidi per ſe corpus poſſit,ea quæ in perniciem mutuam ruunt , capere non poteſt : quod in iis quæ ſine corpore ſunt ſecus contingit.Et ſanè contrariorum omnium rationes natura habet atque ſuſtinet.Veluti oculus ſimul can-

doris

doris atroriſque rationes accipit,ac natura ſimul contrariorum rationes cõſequitur,boni & mali, frigidi atque calidi : ſiquidem contrariorum ſcientia vna eſt . Quocirca abſurdi nihil orationem eam ſequitur,quæ actu differentias in generibus ipſis conſtituit. Eodemque modo abacum ratione eadem trianguli figura,quadratum, & rotundum excitare non poſſumus : quia à ſe inuicem figuræ confunduntur.Hęc autem omnia diſtinctè animo comprehenſa tenemus:quò fit etiam ea vt diſtinctè percipiamus, citra cõfuſionem quanquam, primumq; theorema & ſecundum atque tertium oſtendamus:deq; rotundo,quadrato,atque triquetro diſſeramus.Ita fit,vt in iis quæ expertia ſunt corporis,contraria actu ineſſe poſſint.Deinde,ſi poteſtate genus differẽtias habet , quodnam illud eſt quod re eas in formis inſeuerit?Id enim omne quod poteſtate cohæret , in rem ipſam ducitur,propter actum aliquem qui ita ſit.Aqua enim frigida cùm calida eſſe poſſit,igni,qui calidus reuera eſt,calida efficitur:itemque infans qui eſſe grammaticus poteſt, ab eo qui actu grãmaticus eſt,grammaticus redditur.Ergo ſi differẽtias poteſtate genera cõplectuntur, eæque trahi in actum ſolent,aliud quippiam quod re ipſa contineat differentias requirẽt.Nihil eſt autem,extra hęc ipſa, eiuſmodi.Non ergo vi ſua in generibus poſitæ ſunt differentiæ . Iam quidquid poteſtate eſt,imperfectum eſt:quod reuera,ſuis expletum atque abſolutũ numeris eſt . Si ergo actu ſpecies ac formæ differentias habent,& eas poteſtate genera capiunt , ſpecies certè infimæ cæteris perfectiores maioreque in honore erunt & pretio : iacebunt ſuprema genera nulluſque iis honos erit . Quod abſurdum eſt.Quandoquidem effecta cauſſis & præſtantiora & nobiliora erunt. Quamobrẽ differentias actu in generibus ineſſe neceſſe eſt. Ergo nullius planè momenti Peripateticorum mens atque opinio erit?Minimè verò.Nam cùm trifariam genera dicantur (vt ſæpè diximus) Platonici quidem de iis quæ ante multa ſunt loquebantur. In iis enim generibus quæ ante multa ſunt, actu differentiæ nituntur:ibi enim rerum omniũ rationes actu viſuntur. Peripatetici autem de iis quæ in multis ſunt.Quippè ſcire eſt operepretium, naturã à ſuperioribus ad inferiora progredi.Prius autem inferiora in ſuperioribus,& quæ generalia minus ſunt, in iis quæ magis , inhærent . Veluti, ex effuſo ſemine maſſam in primis (vt medicis placet) natura conficit , quæ corpus eſt , idque vniuerſum ac generale . verùm id vt corpus eſt,actu eſt:vt animatum,poteſtate . nondum enim re vera animatum eſt.Cùm autem enutritum & auctum fuerit,animumq; acceperit , verè illud quidem animatum dicetur:facultate autem animal , quippè quod ſentiendi mouendique vim nõdum ſit cõſecutum:quæ vbi adeptum eſt,reipſa animal,& potentia rationis particeps appellatur.Porrò cùm rationis atque orationis facultatem obtinuerit,actu animal ratione præditum efficitur:atque poteſtate grammaticum.Vides igitur,vt in generibus iis quæ in multis ſunt,vi ſua differentiæ cõſyderentur . Atque eo quidem modo præclarè Phyſici ſtatuunt . Itaque Porphyrius cum librum hunc,non ad Platonica,ſed ad Ariſtotelica opera vtilem conſcriberet , Peripateticorum non Platonicorum dilutionem adhibuit . Sed quoniam ſuprà citra demonſtrationem voces quinque ſine corpore eſſe diximus,agè id etiam hoc tempore oſtendamus . Principiò igitur corpus æquè nunquam in re maiori & minori,vt Elephanto atque formica, cernitur:voces autem quinque in maioribus ac minoribus rebus eadem ratione ſpectantur.Inſuper corpus omne, ſi ad corpus adiiciatur,id ad quod fit acceſſio auget:at verò genus,& ſpecies , cæteraque omnia generis eiuſdem, Socrati addita,naturam eius maiorem non efficiunt . Præterea nunquam idem corpus eodem temporum ordine in omnibus perſpicitur.Namque etſi ita eſſe videatur, idem tamen non eſt . Verbi gratia,in Platonis fœmore os appareat,idem in Oreſtis fœmore non erit : at genus & ſpecies vno tempore in multis verſantur. Poſt hæc,corpora ſi diuidantur , ſpeciem vnam quantitatémve non habent,veluti ſtatera in multa ſecatur. Quare quæ diſpertiuntur,quantitatẽ unam & eandem ſpeciemque non retinent:genera autem & formæ ſpeciem propriam, in Socratem, & Platonem, cæteroſque homines ſecta,ſortiuntur. Tum verò corpus omne ex materia & ſpecie conſtat atq; cõficitur.Genus autem & ſpecies non item. Conflari enim è ſpecie ſpecies non poteſt . Sunt igitur corporis expertes voces quinque . Atque omnia quidem quæ ad inſtitutum conferunt , hactenus ferè explicauimus.Aperta igitur deinceps litera erit.Eam verò percurramus, ac ſi quid obſcurum inciderit,id exponamus.

Voces quinq; ſine corpore eſſe.

Nullum,fortaſſe legere præſtiterit.

Nam illud οὐδὲν ad γένος refert Ammo. nõ ad ea quæ ſequuntur.

QVONIAM animal].Id eſt,nullius horum eſt expers.Huiuſmodi enim quippiam ſubintelligendum eſt.Nam niſi animal rationis particeps,ac mortale haberet,vndénam hæc ſpecies in ſeſe transferret?

NEQVE contrarias omnes habet,quoniam in eodem contraria ſimul inerunt:ſed, quemadmodum putant]. Quoniam Porphyrius, qui Platonicus eſt , quę Platonis traditionibus non repugnant præcepturus eſt,dixit quemadmodum putant Peripatetici . Nam ij naturæ rationem ſecuti,ſcitè admodum genera vniuerſa,res prius ſingulas poteſtate cõtinere exiſtimant : eoq; modo ad actum transmitti.

DEFINIVNT autem eam & hoc modo].Hoc loco perfectam deſcriptionem affert,ex vocum diuiſione ductam,quæ ait,vocum aliæ nihil,aliæ aliquid ſignificant.

NAM CVM res ex materia conſtent & forma]. Cauſſam nunc affert, quamobrem genus in quæſtione qua quid quidque ſit quæritur,differentia in ea qua quale quidq; ſit,dicatur.Ait igitur res omnes,aut ex materia propriè & ſpecie conſtare,aut certè ex vi quadam, quæ materiæ & formę ratione aliqua reſpondeat,conſtitui.In omnibus igitur naturalibus rebus ſubiectum quoddam eſt,quam materiam propriè appellant, quæ & forma vacat, & commutari non poteſt. Eſt autem propriè forma id,quod eam exornat,quodque in ea exiſtit.Hoc ergo modo materia propria atque ſpecies,in rebus conſyderantur naturalibus.In iis autem quæ ab arte proficiſcuntur, quod horum comparatione & proportione dicitur,veluti ex ære ſtatuæ conflantur atque imagines : itaque earum æs materia nuncupatur,non propriè id quidem,ſed comparatione quadam . Non enim forma penitus æs caret: ſed id quia artifici ſubiicitur , ac ſtatuæ, materiæ in modum, formam capit, materia idcirco appellatum eſt. Porrò figura formæ ratione quadam reſpondere dicitur, quia æs informat. Quoniam enim naturalibus rebus vna ſubiecta eſt materia , proinde in ſeipſa vniuerſa commutantur atque recidunt,fierique non potuit, vt in ſeſe omnia occiderent ac verterentur, ni communis eorum quæpiam vnaque foret materia . Hoc ergo modo ærea in ſeſe vaſa cōuerti poſſunt,quippè cùm cōmunem ſint ſortita materiam:quemadmodum ex lebete ſtatua efficitur. Nam quæ communi materia non continentur,in ſeipſa inflecti atque interire nequeunt:extrui enim ex lebete abacus non poteſt . Fit autem ex aëre aqua , viciſſimque ex aqua aër,atque ex aëre ignis: quoniam hæc communem obtinent materiam , quæ cùm calorem ac frigus acceperit aqua , cùm calorem & ſiccitatem,ignis efficitur. Quod idem in reliquis cōtingit. Naturales igitur res omnes ex materia propriè & ſpecie coaleſcunt,vt homo,& equus,cæteraque eiuſdem generis. Quæ verò ab arte promanāt,lignea pro materia,pro forma habent hanc aut illam figuram. Genus ergo materiæ habere rationem dicit:formæ,differentias. Vt enim natura nihil illa quidem inter ſe diſcrepant,veluti ænea vaſa,differentia autem in figura conſiſtit:ſic genere nihil,quo animantes ſumus, homo,equus,& canis,itemque alia diſtinguuntur:differentiis autem differunt. Cùm enim ad animal ratio acceſſit & mortalitas,hominem:cùm mortalitas & rationis carentia, equum procreauit. Quocirca genus materiæ proportione dicitur,ſpeciei,differentiæ . Quoniam igitur materia rem quanque conſtituit:ſpecies autem qualitatem,hancque & illam affectionem largitur,iure quidem in quæſtione ea genus,qua rei vis & natura quęritur,dicitur : quippè quod materiæ ratione aliqua reſpondeat:differentia autem in ea qua quale quidque ſit indagatur, quippè quæ ſpeciei proportione dicatur.

DESCRIBVNT autem hoc etiam modo differentiam. Differentia eſt , quod natum eſt ſeiungere ea,quæ ſub eodem genere continentur].Nam rationis particeps & mortale,cùm acceſſit, hominem ab equo ſeparauit.

NON QVODLIBET eorum quæ ſecernunt ea quę ſub eodem genere collocantur].Id eſt, non differētia quæuis,nec vulgaris,neque propria,nec ſedere,nec ſtare,aut ſimum, aut aduncis nari bus eſſe,diſtingunt:ſed quæ propria maximè eſt,vt mentis atq; ſcientiæ eſſe capacem.Id enim in ſolo homine ineſt. Quandoquidē nec Deo,vtpote qui omni ſit cognitione pręſtantior,nec beluis illud conuenit:itemque non huius aut illius ſcientiæ,neque Grammaticæ ſolius,ſed omnium.

SED QVOD ad eius & naturam aperiendam pertinet,καὶ τὸ τί εἶναι].id eſt,quod ad eſſentiam,eiuſque definitionem conferat.Nam τὸ τί ἦν εἶναι,definitionem Philoſophi appellant,quēadmodum apud Grammaticos ædes domum ſignificant , ſiquidem definitio vim & naturam rei cuiuſque explicat. Quod ergo pars definitionis eſt,id ipſum ſecernit. Quippe mentis & ſcientiæ capacem eſſe , è definitionis partibus vna eſt , ob eamque cauſſam hominem à reliquis hæc differentia diſtinguit.

NEQVE enim natum eſſe ad nauigandum hominis eſt differentia]. Nauigare, natare non innuit,ac ſupra aquam ferri(nanque eo pacto & beluæ,& quæ ſine animis ſunt,apta eſſe ad nauigandum dicerentur)ſed naues remorum motu impellere:id enim hominis eſt propriū. Cæterum non ex eo homo inſignitur:alioqui qui nauibus non vterentur,homines non eſſent.

τὸ τί ἦν εἶναι quod quid erat eſſe , reliqui inſcienter & obſcurè expoſuerūt. Cic. in Orat. quid ſit, uel uim & naturā rei dicit . quod ita uertēdum eſſe ex lib. Topic. Ariſt. 6. perſpici ſatis poteſt.

BOETIVS.

Differentia,proprium & accidens antecedit,quoniam proprium eſt vnius tantum ſpeciei, accidens verò exteriorem quandam oſtendit naturam,nec omnino in ſubſtantia prædicatur, differentia verò vtrunque continet,& de pluribus ſpeciebus,& in ſubſtantia prædicatur.

DIFFERENTIA verò]. Tribus modis aliud ab alio diſtare prædiximus , genere , ſpecie, numero : in quibus omnibus , aut ſecundum ſubſtantiales quaſdam differentias alia res diſtat ab alia,aut ſecundum accidens.Nam quæ genere vel ſpecie diſtant, ſubſtantialibus quibuſdam differentiis diſgregata ſunt,idcirco quoniam omnia genera & ſpecies quibuſdam differentiis ſubſtan-

tialibus informantur. Nam cùm homo ab arbore genere diſtet animalis, ſenſibilis qualitas in eo differentiam facit. Addita enim ſenſibilis qualitas animato, animal facit, eadem quidem detracta, facit animatum atq; inſenſibile, quæ ſunt virgulta. igitur homo atque arbor quæ genere differunt (vtraq; enim ſub animalis genere poni non poſſunt) differētia ſenſibili ſecundũ genus diſcrepãt, quæ vnius expoſiti tantummodo genus, id eſt, hominis informat, vt dictum eſt. Illa verò quæ ſpecie diſtant, manifeſtum eſt, quòd ipſa quoque differentiis ſubſtantialibus diſcrepant, vt rationalitate atque irrationalitate homo atque equus differentiis ſubſtantialibus diſtant. Ea verò quæ indiuidua ſunt, & ſolo numero diſcrepant, ſolis accidentibus diſtant. Hæc autem ſunt vel ſeparabilia vel inſeparabilia, ſeparabilia quidem, vt moueri, dormire. diſtat enim aliquis ab alio, quòd ipſe ſomno prematur, hic vigilet. diſtat item inſeparabilibus accidentibus, quòd hic ſtaturę ſit longioris, hic minimæ. Quæ cùm ita ſint, in ternariũ numerum has differentiarum diuerſitates Porphyrius colligit, iiſque ipſe nomina quibus pòſt vtatur, apponit dicens, Omnis differentia, vel cõmuniter, vel propria, vel magis propria nuncupatur. Communiter quidem eam differentiam ſumes, quæ quodlibet accidens monſtraret, quæ in quadam alteritate conſiſtit, vt ſi Plato à Socrate differat quòd ille ſedeat, hic ambulet: vel quòd ille ſenex, hic verò ſit iuuenis. A ſeipſo etiam ſæpe aliquis differre poteſt: vt ſi nunc quidem faciat aliquid cum antè quieuerit, vel ſi nunc adoleſcens iam factus ſit cùm prius tenera vixiſſet infantia. Communes autem differentiæ nuncupatæ ſunt, quoniam nullius propriæ eſſe poſſunt differētiæ, quæ ſeparabilia accidentia ſola ſignificant. Nam & ſtare, & ſedere, & facere aliquid, ac non facere aliquid, multorum, atque ideo omnium ſunt, & ſeparabilia eſſe accidentia manifeſtum eſt, quibus ſi qua differunt, communibus differentiis diſtare dicuntur. Præterea puerum eſſe, atque adoleſcentem, vel ſenem, ea ſeparabilia ſunt accidentia. Nam ex pueritia ad adoleſcentiam, atque hinc ad ſenectutem: ab hac denique ad decrepitam vſque ætatem, naturæ ipſius neceſſitate progredimur. Illud forſitan ſit dubitabile de vniuſcuiuſq; forma corporis, an vllo modo ſeparari queat? Sed ea quoque eſt ſeparabilis forma. Nullus enim diuturna ac ſtabili forma perdurat. idcirco nec peregrinus pater relictum domi puerum etſi adoleſcētem rediens viderit, poſſet agnoſcere. forma enim ſemper quæ antè fuerat, permutatur atque ipſa alteritas qua diſtamus ab altero, ſemper diuerſa eſt. conſtat igitur hanc communem differentiam ſeparabilibus maximè accidentibus applicari. Propria verò eſt quæ inſeparabilia ſignificat accidētia. ea huiuſmodi ſunt, vt ſi quis cæſiis naſcatur oculis, ſi quis incuruo naſo. dum enim adeſt naſus atque oculi, ille cæſius, ille ſemper erit incuruus, atque hoc per naturam. Sunt verò alia quæ per accidens corporibus fiunt, vt ſi cui vulnus inflictum cicatrice fuerit obductum, hoc ſi occaluerit propriam differentiam faciet. Diſtabit enim alter ab altero, quòd hic cicatricem habeat, ille verò minimè. Poſtremoque in his omnibus vel ſeparabilibus accidentibus vel inſeparabilibus: alia ſunt naturaliter accidentia, alia extrinſecus. naturaliter quidem vt pueritia, vel iuuentus, & totius conformatio corporis, ſic quoque cæſitas oculorum, & curuitas naſi. quorum ſuperiora quidem exempla ſeparabilis accidentis per naturam ſunt: poſteriora verò inſeparabilis accidētis. Itē extrinſecus vel ambulare vel currere. Id enim non natura, ſed ſola affert voluntas. Natura verò poſſe tantum dat: non etiam facere. Atque hæc ſunt ſeparabilis accidentis extrinſecus venientis exempla. illa verò inſeparabilis accidentis extrinſecus, vt ſi qua cicatrix obducta vulneri occalue rit. Magis propriæ autem differentiæ prædicantur, quæ non accidens, ſed ſubſtantiam formant: vt hominis rationabilitas. differt enim homo à ceteris, quòd rationalis eſt, vel quòd mortalis. Eę ſunt igitur magis propriæ quæ monſtrant vniuſcuiuſque ſubſtantiam. Nam ſi illæ quidem idcirco cõmunes dicuntur, quia ſeparabiles atq; omnium ſunt, aliæ autem propriæ quoniã ſeparari nõ poſſunt, quãuis ſint in accidentium numero: illæ magis iure propriæ prædicantur, atq; vt planius liqueat, quæ non modo à ſubiecto ſeparari non poſſunt, verumetiam ſubiectis ipſis ſpecies ſubſtantiamq; perficiunt. Ex his igitur tribus differētiarum diuerſitatibus, id eſt, communibus, propriis, & magis propriis, fiunt ſecundũ genus, vel ſpeciē, vel numerũ diſcrepãtiæ. Nam ex communibus, & propriis, ſecundũ numerũ diſtantiæ naſcũtur: ex magis propriis verò, ſecundũ genus ac ſpeciē.

Alteratum facere, commune eſt ſubſtantiali & accidentali differentiæ. ſed differentiæ ſubſtantiales aliud faciunt, quæ quidem ſpecificæ vocãtur, iccirco quòd efficiunt ſpeciem, quam cum informauerint ab aliis ſeparant, imò diuerſam efficiunt ſpeciē. eſt igitur alteratum quod ab altero qualibet ratione diuerſum eſt, aliud verò ſpeciem conſtituere. Cæterùm differentiæ communes & propriæ quæ alteratum ſolum efficiunt, deffinitionibus & diuiſionibus minimè accõmodantur. ſecundum verò ſpecificas deffinitiones aſſignãtur, & diuiſiones, quoniam aliud faciunt, quod generis diuiſio videtur expoſcere.

Inſeparabiliũ differentiarũ aliæ ſunt per ſe, aliæ per accidens. per ſe dicũtur quæ alicuius ſubſtantiam informant, quibusque interemptis natura ſubiecti corrumpitur. Per accidens quæ ſpe-

ciei

ciei conſtitutæ extrinſecus accidunt,nihil ſubiecto ſubſtantiæ accommodantes.

ILLAE IGITVR quæ per ſe ſunt &c.] Differentiis ritè partitis, earum inter ſe diſtantiam monſtrat Porphyrius,atque vnam repetit quam ſuperius dixit:quoniam differentiæ inſeparabiles quæ ſubſtantiam monſtrant, id eſt, quæ per ſe ſubiectis ſpeciebus inſunt eaſque perficiunt,aliud faciunt,aliæ verò alteratum.Item alia diſtantia eſt earum differentiarum quæ ſecundum ſubſtantiam ſunt,ab iis quæ ſecundum accidens: quoniam quæ ſubſtantiam mõſtrant,intendi aut remitti non poſſunt.quæ verò ſecundum accidens,& intentione creſcunt,& remiſſione decreſcunt.

QVAS ETIAM determinantes dicunt]. Specificas differentias definitione concludit: dicens,Differentia ſpecifica eſt qua abundat ſpecies à genere,id eſt, ſuperat genus, vt animal homo ſuperat per rationale & mortale.Sed huic diffinitioni quædam quæſtio videtur occurrere,habens principium ex duabus propoſitionibus per ſe notis: vna quidem,quoniam duo cõtraria in eodem eſſe non poſſunt:alia,quoniam ex nihilo nihil fit.dictum eſt igitur differentiã eſſe,qua plus abundat ſpecies à genere.quid?dicendum eſt ne genus, eas differentias quas habet ſpecies non habere? & vnde habebit ſpecies differentias,quas genus non habet?niſi enim ſit vnde veniant differentiæ, in ſpeciem venire non poſſunt.quòd ſi genus quidem has differentias non habet, ſpecies autẽ habet,videtur ex nihilo differentia in ſpeciem conueniſſe,& factum eſſe aliquid ex nihilo, quod repugnat propoſitioni dictæ ſuperius. quòd ſi genus omnes continet,in eodem erunt cõtraria:quod fieri non poteſt.ad quam quidem quæſtionem reſpondebimus,genus habere differentias poteſtate,non autem actu. ſi enim ipſum per ſe animal conſideretur, differentias non habet: ſi autem ad ſpecies reducatur,habere poteſt,ſed diſtributè.

IN EO quod quale quid prædicatur].Interroganti qualis vnaquæq; res ſit,ſi volumus reddere ſubſtantiæ qualitatem, differentiam prædicamus.

REBVS ENIM ex materia & forma conſtantibus]. Quemadmodũ ex materia quæ formã ſuſcipit,res fiunt naturales aut artificiales,vt Achillis ſtatua ex æris materia,& ex illius Achillis figura perficitur,ita ſpecies ex differentia generi addita efficitur:& vt in Achillis ſtatua æs materia eſt,forma verò Achillis qualitas & quædam figura, ex quibus efficitur Achillis ſtatua,ita etiã in ſpecie quæ eſt homo,materia quidem genus eſt quod eſt animal, cui ſuperueniens qualitas rationalis,animal rationale,id eſt,ſpeciẽ fecit .igitur ſpeciei materia quædam eſt genus, forma verò eſt quaſi qualitas, differentia.

DESCRIBVNT autem huiuſmodi differentiam,& hoc modo]. Omnes differentiæ iccirco nuncupantur,quòd ſpecies ex ſe differre faciunt,quas vnum genus includit. vt homo & equus propriis diſcrepant differentiis,ſed ſicut homo animal eſt,ita etiam equus. ergo ſecundum genus nullo modo diſtant:quæ igitur ſecundum genus nullo modo diſcrepant, ea differentiis diſtribuũtur.additum enim rationale quidem homini,irrationale verò equo, equus atq; homo quæ ſub eodem genere fuerant,genere diſtribuuntur & diſcrepant,additis ſcilicet differentiis.

ERVNT ERGO ſpecificæ differentiæ,quæcunque alterum faciunt]. Cõcludit eas eſſe ſpecificas differentias,quæ alteras à ſe ſpecies faciunt,per diſtantiam ſubſtantialem. nam ſi vnicuiq;, id eſt eſſe quodcunque ſubſtantialiter finit, quæcunque differentiæ ſubſtantialiter diuerſæ ſunt, illas ſpecies quibus adſunt,omni ſubſtantia faciunt alias,ac diſcrepantes: atque hæ in definitionis parte ſumuntur. Nam ſi definitio ſubſtantiam monſtrat,& ſubſtantiales differentiæ ſpecies efficiunt,ſubſtantiales differentiæ partes ſunt definitionum.

Differentia proprio & accidenti præponitur,quòd ſubſtantiæ rationem ingrediatur. Differẽtia eſt forma ſiue qualitas,ſecundum quam res inter ſe ſeparãtur:quæ quidem definitio(vt nomen differentiæ)analoga eſt . prius enim differẽtiis magis propriis aptatur,deinde propriis , poſtremò communibus.Differentia communis nuncupatur, non ob prædicandi rationem:ſed quòd ſit tota vulgaris omnibusq; idiotis & imperitis vſurpata,& eſt accidens ſeparabile quo res inter ſe diſtinguuntur.propria dicitur quia maiorẽ habet cõſenſum & affinitatẽ cum differentia ſpecifica quàm communis,& eſt accidens inſeparabile:ſub quo intellige proprium.inſeparabilium quędam ſunt, fuerunt,ac ſemper erunt in ſubiecto,vt calor ignis:quædam non ſemper adfuerũt , ſed vbi adſunt, nuſquam poſſunt abeſſe,vt cicatrix cum ex vulnere occaluerit. magis propria verò vocatur, quia ſit tantum Philoſophis perſpicua,quaque res inter ſe propriè,& ſecundum eſſentiam diſtant, quæ etiam ſpecifica nuncupatur,quia generi adueniens ſpeciei definitionem complet & perficit,vt rationale animali ſuperueniens hominem informat & componit. *

RATIONALI qualitate]. Ex Ariſtotele in quinto Metaphyſices,qualitatis duplex eſt genus.quædam enim dicitur ſubſtantialis,quædam accidentalis.ſubſtãtialis appellatur quæ ſpeciem à ſpecie diuidit,ita tamen vt ſpecies eſſentiam ab ea capiat , vt ſenſitiuum qualitas eſt animali per naturam coniuncta.Accidens verò poſitũ in prædicamento qualitatis eſt alterũ genus,vt albedo.

Accidentia ſingularia,ſiue ſeparabilia,ſiue inſeparabilia,ſub communi aut propria differentia continentur,quemadmodum differentię ſingularium ſubſtantiales(ſi modo illis concedamus) ad ſpecificas reducuntur.de quibus Ariſtoteles & Porphyrius non loquuntur. Quòd autem ſingularium ſtatuendæ ſint differentiæ ſubſtantiales,his rationibus conuincemus : vt ſe habet genus ad ſpeciem,ita ſpecies ad indiuiduum.ſed generis natura ad certam ſpeciem conſtringitur & contrahitur per differentiã communem:pari igitur modo ſpeciei natura ad indiuiduum cõtrahetur, per differentiam ſingularem,quæ ſumitur à forma quæ eſt actus diſtinguens & ſeparans.Nemini profectò ſanę mentis dubium eſt,ſublatis omnibus accidentibus , Platonem & Ciceronem ſubſtãtialiter adhuc diſtingui per eorum formas . Prætereà in Categoriis ſcribitur primam ſubſtantiam, quæ ſingularis eſt,maximè dici ſubſtantiam, quòd omnium ſit ſubſterniculum & quaſi fundamentum.quæro igitur an præter rationem ſpeciei quæ eſt communis,nihil ſubſtantię addatur:ſed tantum naturæ communi proprietates ad indiuiduorum compoſitionem addantur. ſi vltimum concedatur,quemadmodum album, licet ſubſtãtiam ſecum trahat,eſt de prædicamento qualitatis,ita quoque Socrates, & quodlibet indiuiduũ inter accidentia numerabitur . ad hæc qua ratione propter accidentia,quæ ſpeciei naturam coërcent,dicetur maximè ſubſtantia? Nónne ſole clarius eſt Socratem generari,cum anima rationalis,quę nõ ſolum accidentibus à mea ſeparatur, corpus informat?Aliàs ſi mente conciperemus quantitates, qualitates , cæteraque accidentia perire & ſeparari , Socratis anima à mea nullo pacto differet , quod videtur impium & naturæ diſſentaneum. Scribit etiam Ariſtoteles diuerſitatem in rebus ex diuerſitate formæ potiùs quàm materiæ oriri. vnde Cõmentator primo de anima,membra cerui non differunt à membris leonis niſi per animã. Amplius eadem eſt forma ſpeciei & indiuidui ſecũdum rem,ratione diſtincta. nam vt lumine intellectus agentis abſtrahitur,eſt vniuerſalis:vt verò materiæ adhæret , iam eſt ſingularis. ſuper hac re tamen magnam controuerſiam inter clariſſimos Philoſophos eſſe non ignoro . ſtudioſe lector tuum iudicium ſequere.

Quæret quiſpiam,vtrum aliquo tertio neceſſe ſit omnia ſeiungi.ſolutio.nõ oportet quæcunq; differunt,aliquo tertio ab inuicem differre.nam differentiæ ſpecificæ,aut in infinitũ fieret abitio, aut ſeipſis ſepararentur.

Facere alteratum eſt per accidentis modum ſeparare, quod non ſolùm differentiis communibus,propriis,verùm etiam magis propriis aſcribitur. nam differentiæ magis propriæ formas ſignificant,à quibus accidentia ſeparabilia & inſeparabilia manant & fluunt:quibusque res inter ſe dirimuntur.facere verò aliud eſt,eſſentiã vnius rei ab eſſentia alterius ſeiungere , & ſeiunctam informare. ſunt tamen non pauci qui alteratum exponunt eſſe illud quod ab altero eſſentialiter,aut accidentaliter diuerſum eſt.Cæterùm,differentia Philoſophorum vocatur ſpecifica à digniori officio.eſt enim dignius conſtituere quàm diuidere.

Differentia communis, & ea quam propriam appellãt,per excellentiam non dicuntur differentiæ ſimpliciter , ſed quia propter imperfectam earum naturam non meruerunt aliquod vocabulum habere,vt bruta ſimpliciter animalia nominantur,homines animalia rationis capacia.

SECVNDVM igitur aliud facientes differentias, diuiſiones fiunt à generibus in ſpecies]. Senſus eſt differentias eſſentiales diuidere genus in ſpecies,atque ſpecies definire . Ex hac regula, duę propoſitiones maximè ab hominibus concedendæ ducuntur: prior,Omnis generis diuiſio in ſpecies fit per differentias.poſterior,omnis ſpecifica differentia generi coniuncta ſpeciẽ cõſtituit. Iam manifeſtum eſt cognitionem quinque vocum neceſſariam eſſe ad definitiones & diuiſiones aſſignandas.

Differentiæ propriæ & quæ magis proprię dicuntur,inſeparabiles ſunt,diuerſo tamen modo.nam propriæ intellectu ſeparantur, magis propriæ neque re neque mẽte ſeparari poſſunt.Differentias per ſe vocat, quibus ſpecies eſſentialiter terminantur & explicantur . Per accidens,quæ in ipſis rebus fixę non ſunt,ſed extra earum naturam ſumuntur.Philoſophus tamen in primo poſteriorũ Analyticorum, riſibile,ſimum & ſimilia per ſe dici profitetur,quoniã per eorum ſubiecta definiuntur.Cæterùm mortale & diſciplinæ capax, aut formam ſignificant, qua diſciplinæ ſumus capaces,& ſic ſunt differentiæ per ſe:aut aptitudinem , & proprietates ſunt. Illæ igitur quæ per ſe ſunt,in ſubſtantiæ ratione accipiuntur . Differentias per ſe à differentiis per accidens,tripliciter diſtinguit.Primùm differẽtiæ per ſe in definitionibus eſſentialibus ponũtur, per accidẽs minimè. Secundò differentię per ſe aliud faciunt,& alteratũ : differẽtiæ verò per accidens tantum alteratũ. Poſtremò differẽtię per ſe,neq; intentionẽ neq; remiſſionẽ ſuſcipiũt . per accidens verò ſuſcipiũt, nõ tamen omnes.Quantitas enim nõ intenditur neq; remittitur. Quæſtio,quid differẽtiæ eſt inter partes extenſionis & intenſionis? Solutio . Partes extenſionis quæ ſunt extra ſe , loco & ſitu ſeparãtur.Intentionis verò,ſecundum quas aliquid magis aut minus ſuſcipit,eiuſdem ſunt ſpeciei,

loco & ſitu nõ diſtinctæ,neq; extra ſe inuicem, ſed permixtæ,virtute tamen & efficacia ſecernuntur. Nam decem gradus æque vehementes caloris aut albedinis,validiores ſunt & efficaciores, octo gradibus paribus.volunt autem quamplurimi crementum,id eſt,intẽſionem & remiſſionem rebus accidere propter cõtrariorum mixtionem, vt album efficacius eſt aut remiſſius,propter nigrum magis vel minus ſibi permixtum . quæ quidem expoſitio etſi colligatur ex mente Philoſophi , in quinto Phyſicorum , multa tamen intenduntur & remittuntur propter virtutem agentis, conſtantiorem aut infirmiorem:vt lumen intenditur & remittitur ſine contrarij permixtione , & multa alia quibus nihil cõtrariatur.imò igneo calori puro nihil frigidi permixtum eſt, aut in igne non tantum erunt duæ qualitates primæ.

In ſexto capite quarti Topicorum ſcribitur,ſpeciẽ remitti & intendi,ſi genus decremẽtum aut *Obiectio.* incrementum ſuſcipiat. Quare aut fruſtra traditur hoc præceptum,aut genus intenſionẽ & remiſſionẽ ſuſcipiet.reſpondebis generis rationem æqualiter ſuis ſpeciebus adaptari , cùm eius eſſentia ſit ſimplex & indiuiſibilis : vt verò aliquam ſubſtantiam denominat,intenſione creſcere,& diminutione decreſcere,vt coloris in corpore poſiti plures poſſunt eſſe gradus.

Sed alia occurrit dubitatio,Porretanus ait,formam quæ ſimplici & inuariabili eſſentia conſtat, *Obiectio.* compoſito ſuperuenire.non videbitur itaque forma ex diuerſis gradibus componi.Dicendum eſt formam partibus diuerſæ naturæ non circunſcribi,poſſe tamen ex partibus ſimilaribus perfici.

Differentia ſpecifica nunc diuiſiua , nunc conſtitutiua,ob officium diuerſum nuncupatur , vt rationale hominem finit & conſtituit,animal verò diuidit.

In definitione,animalis ſubſtantiæ vocabulo corpus intelligitur,vel ſubaudiendum eſt corporeum,ſi large ſubſtantia capiatur. vetat enim Ariſtoteles in ſexto Topicorum , ne cum definimus per genus remotum,aliquam differentiam mediam prætermittamus: prætermiſit autem Porphyrius corporeum,aut quia illi non occurrebat,aut veram eſſe differentiam non arbitrabatur.

Secundum Porphyriũ,rationale non eſt differentia homini,quia diis conuenit: rationale mortale eſt compoſita . & alludit ad Platonem qui animal rationale vocabat , id quod motu libero & voluntario moueretur.quæ quidem definitio diuinis intelligentiis etiam competit.

Ardua & difficilis oritur quæſtio,An omnis differentia conſtitutiua ſit generis diuiſiua?Cuius quidem pars inficiatoria rationibus his firmabitur , ſubſtantia ſupremum caput & primum genus eorum,quæ per ſe conſtant,compoſita eſt ex materia & forma,vel ex potentia & actu . Igitur à ſubſtantiis ſimplicibus per differentiam quæ nullius generis diuiſiua eſt,diſtabit.Sed fortè quiſpiam negabit tantum ſubſtantias compoſitas in prædicamento locum habere , quæ quidem ſententia ſi tibi magis arrideat, iam hæc ratio dari etiam differentiam conuincit:Quæcunque ſpecie differunt , eſſentialiter diſcrepant : at ſubſtantia latè ſumpta,ab accidentibus differt ſpecie. Igitur per aliquam differentiam eſſentialem . cui ſuffragatur Ariſtoteles in tertio capite ſexti Topicorum,dicens:quicquid aptè accommodeque de differentia prædicatur , id eſt differentia . Inferior enim forma ſuperiori formæ , vt ſubiectum eſſe videtur , vt rationale animato perinde ac albedo colori. Igitur cùm ad formas inferiores ſit tanquã genus ſubalternũ,ſupra ſe genus habebit,quod quidem erit differentia ſubſtantiæ.Pars verò aſſertoria multis placet.Si enim generum generaliſſimorum eſſet differentia conſtitutiua,iam differentia ſuo ambitu omnia contineret, aliiſque vocibus præponenda veniret.Cui placet generibus primis differentias cohærentes dari,verba Por- *Solutio.* phyrij de differentiis intermediis intelligenda eſſe vult. Qui verò aſſertoriam partem quæſtionis defendere nituntur , dicunt entis conceptum analogum eſſe, nec oportere contrahi per differentias,ſi ſubſtantia & accidens ſeparari debeant . Non eſt igitur ignorandum ſubſtantiam ſe ipſa ab accidentibus ſecerni.

SVNT ſupremæ ſubſtantiæ]. Quidam ex hoc loco putant corpus ſupremum locum tenere in prædicamento ſubſtantiæ,quod etiam viſum eſt Auerroi , ſed temere . non enim vult Porphyrius animatum & inanimatum ſic diuidere ſubſtantiam,vt ipſam adæquare poſſint.nam vt dictum eſt in capite de ſpecie,ſubſtantia genus eſt,ſub qua eſt corpus.

ET AD diuiſiones generum & definitiones ſpecierum]. His confirmatur expoſitio quã ſubiecimus,in procemio.diximus enim quinque vocũ cognitionem ad definitiones & diuiſiones neceſſariam,quia tribus primis vtimur,duo poſteriora reiicimus.

DIFFERENTIA eſt qua ſpecies abundat à genere]. Prætermiſſis differentiis communibus & propriis quæ referuntur ad proprium vel accidens,Porphyrius ſpecificã differentiam quæ ſola conſtituit tertium prædicabile , variis definitionibus exponit . ſuperat autem genus ſpecies differentiis,quia plures differentias continet actu quàm genus . Quòd ſi quis proponat Ariſtotelem ſcribẽtem in ſecundo Topicorum,quæcunque ſpeciei inſunt,generi conueniunt. Ergo diffe- *Solutio.* rentiæ quæ inſunt ſpeciei,inerunt generi.Reſpondebimus differẽtias quæ cõueniunt actu ſpeciei,

ſecundum potentiam generi ineſſe. Cæterùm aliquid aliud continet actu, quo poſito aliud ponitur, vt homo in ſe habet rationale, quia ſi eſt homo, eſt rationale.

Dubium Porphyrij ſic diſcutitur. Species differentias quibus dicitur excedere ſuum genus, capit à genere, quemadmodum & totam naturam. genus verò nō ſolum habet illas, quibus dicitur ſuperari, ſed & alias. quare potius genus dicetur ſuperare quàm ſuperari. quod ſi cōcedatur, ſequetur oppoſita in eodem eſſe, hoc autem rationi aduerſatur. Idem ſcribit Ariſtoteles in duodecimo capite ſeptimi Metaphyſicorum, genus enim non particeps differentiarū eſſe videtur. idem enim contrariorum ſimul particeps eſſet: quippè, cum differentiæ ſint contrariæ, quibus differt genus. ſolutio. Nihil prohibet in eodem ſimul oppoſita eſſe poteſtate, eſt enim homo natus ad ſanitatem & ægritudinem.

Oppoſita ſimul eidem ſterniculo & ſubiecto cōmuni actu fixa eſſe, modò ſint extra naturam, rationi non eſt diſſentaneum.

Quēadmodum ſol hæc inferiora calefacit, etſi tactu non ſit calidus, ſed poteſtate: ita genus ſpeciebus differentias dat, quas potentiâ continet. vt autem clarior ſit differentiæ cognitio, analogiā quandam & comparationem aſſumimus, ceræ & formæ ſigilli, per quam comprehēdi poterit differētiæ officium atque natura. ſicut enim maſſa ceræ nullam habet imaginem, ſed iuxta ſigilli variam ſculpturam nata eſt ſuſcipere diuerſas formas, ita genus vagum & informe, differentiis contrahitur ad certam ſpeciem. Vt etiam truncus, quandiu rude & inutile eſt lignum, neque ſcamni neque lecticæ nomen habet, eſt tamen vtriuſuis harum appellationum capax: ſcamnum verò dicitur ex delineatione illa, quam à fabro accepit. atque hęc delineatio, hæc expolitio, hic modus, ita à fabro ei trunco additus, forma illius ſcamni eſt. Eundem in modum generi differentia addita, genus certæ ſpeciei nomen accipit.

DEFINIVNT autem & hoc modo]. Si quis opponat, ab hac definitione reiici omnes differentias, quæ cum ſpeciebus infimis redeunt: dicendum erit ſolas genericas definiri, quia ſpeciei ſpecialiſſimæ (de ſubſtantiarum ſpeciebus loquor) non ſit inuenta differentia, ſed cōplexione quadam vocum multarum detur, vt hominis rationale mortale, dei rationale immortale.

REBVS & forma & materia conſtantibus]. Non eſt intelligendum genus eſſe materiā. Nam teſte Alexandro genus differt à materia, quoniam genus eſſentialiter prædicatur in recto, materia verò in obliquo: ſed genus comparari ad differentiam, ſicut materia ad formam ſeſe habet. quemadmodum enim ſubſtantialis & naturalis forma finit & informat, tum materiam, tum cōpoſitum: ſic differentiis ſpecies informantur, & genera ad certas ſpecies cōtrahuntur. Itaq; genus poteſtate vniuocum, actu redditur ęquiuocum, diuerſum enim animal homini & equo competit, ſecundum Ariſtotelem, in vndecimo capite decimi Metaphyſicorum. Præterea genus & differentia totam ſpeciei naturam ſignificāt in actu vel in potentia, quæ à diuerſis concipiendi rationibus frequenter deducuntur.

INTERIVS autem perſcrutantes differentiam]. Cùm Porphyrius vltimam differentiæ deſcriptionem cæteris aliis anteponit, non vult alias omnino reiiciendas eſſe: quoniam à probatis Philoſophis accepit, ſed facilius confutari poſſe, minuſque naturam differētiæ atq; officiū diſtinguere. Si tamen omnibus hæc dictio (eſſentialiter) apponatur, non facilè confutabuntur.

τὸ τί ἦν εἶναι, quod quid eſt, quod quid erat eſſe, ſubſtantiam rei, eſſentiam, naturam rei, definitionem Philoſophi vocant, ac pro eodem accipiunt.

DE PROPRIO.

Proprium verò quadripartitò diuidunt. Nam & quod ſoli alicui ſpeciei, neq; toti accidit, vt homini mederi, vel Geometræ fungi munere, proprium dicitur: & quod toti ſpeciei, nō vni tamen, vt homini bipedem eſſe: & quod in ſolam ſpeciem cadit, eamque totam, & aliquando: vt in hominem, in ſenectute caneſcere. Quartū autem, quò & ſolùm, & omne, & ſemper concurrunt: vt in hominem, aptum eſſe ad riſum. Nam etſi non ſemper ridet, tamen aptus ad riſum dicitur: non quòd iam rideat, ſed quòd ad ridendum aptus ſit. hoc enim homini ſemper conuenit, vt equo hinniens. Hæc autem verè propria appellant, quia etiam reciprocantur. Siquid enim equus ſit, hinniens eſt: & ſiquid hinniens eſt, equus.

Abſoluta differentiæ explicatione, de Proprio deinceps diſſerit. nam id iuxta cōſtitutum ordinem

nem sequebatur. Posteaquam enim de naturalibus satis edisseruit, de iis quæ naturam comitantur, necessariò fuit disputandum. Itaque cum ea tradere instituisset aliquando, à proprio, vtpote quod cum essentia communione quadam & societate cõiungatur, est auspicatus. Nam proprio cum naturalibus hoc commune est, quòd quæ propria verè censent, in sola, totaque specie, ac semper, vt illa intelliguntur. Nam & illa iis totis & semper conueniunt, in quibus reperiuntur. Præterea hoc etiam proprium cum accidentibus commune habet, quòd quemadmodum illa à subiecto intelligentia secernuntur, sic propriũ ratione potest à re sibi subiecta separari. Porrò pręceptionis rationem eandem secutus, primùm eius significationes persequitur, atque ita demum exponit, de qua apud Philosophos oratio sit. Proprij ergo quadripartitam quodammodo diuisionem tradit, dicitq; hoc modo. Proprium aut in vnam aliquam solùm speciem cadit, aut non in vnam. Ac si in vnam quidem, aut in ea tota reperitur, aut non in tota. Et si non vni rursum conuenit, aut in omnem, aut non in omnem cadit: aut semper, aut non semper. Atque huiusmodi quidem diuisio est. Vna igitur est, eaque prima Proprij significatio, quod in vnam aliquam cadit speciem, etsi nõ totam, vt in hominem mederi, Philosophari, Astronomi fungi munere, corporumque disquirere magnitudines, itemq; cætera eiusdem generis. Secunda, quod toti speciei, etsi non soli, congruit, velut homini bipedem esse. Nam id in totum quidem hominem, non solum tamen, cadit: in volucribus enim animantibus illud esse bipedem reperitur. Tertia, quod in sola totaque specie, at non semper, sed interdum reperitur, vt in homine in senectute canescere. Nam id in hominem quidem totum ac solum cadit, sed non semper cânis homo obducitur, verùm in senectute. Quarta, id in quod hæc omnia concurrunt & conueniunt, quod in vna, totaque specie, & vtique intelligitur, vt in homine animum aptum ad risum habere, in equo, natum ad hinnitum esse, in cane aptum esse ad latratum. horum verò vnumquodque ex potestate, non actu, nomen inuenit. Non enim quòd aut rideat, aut hinnitum exerceat, natum ad risum aliquid & ad hinnitum esse dicitur, sed quod semper animum aptum habeat ad risum, aut ad hinnitum. Hoc enim proprium maximè appellant, quòd & ad totam speciem, & ad solam, & semper accommodatur. Quamobrem Porphyrius reliquis est significationibus abusus, & (vt paucis absoluam) proprium quod patet latiùs accepit, idque quatuor in partes distribuit. Cùm sint igitur oppositionũ genera quatuor, è quibus proprij sunt significationes deductæ, iis inter se coniunctis & copulatis longè plures exoriuntur, ex quibus cõsistunt quædam, aliæ verò minimè, quemadmodum ex hac descriptione intelligi licet.

	Vnam & totam.	Non vnam & totam.
Quod cadit in speciem	Vnam etsi non totam.	Non vnam & semper.
	Vnam & semper.	Non vnam & non totam.
	Vnam & interdum.	Non vnam & non semper.

In eo autem ipso semper insita sunt quatuor. Porrò cùm insita dixit, facultatem opportunitatemq; quandam designauit. Quanquam enim non ridemus semper, ridentes tamen dicimur semper, non ab actu quidem, sed ab illa facultate, quam à natura acceptam nunquã deponemus. Nam & ridere semper possumus, & animum ad risum aptum semper habemus. Quocirca non proinde nati ad risum esse dicimur, quòd rideamus perpetuò, aliud quippè ridere est, atque aliud ad risum aptum esse, itemque aliud hinnire, & natum esse ad hinnitum.

σύμφυτον germanũ, affine, cognatum dicimus. Verbũ de uerbo cõsitũ, & cõgenitũ: qua ratione in libris de natura σύμφυτον crebrò Aristoteles usurpauit.

BOETIVS.

Omnia propria ex accidentium genere descendunt. Quicquid enim de aliquo prædicatur, aut substantiam informat, aut secundum accidens inest. Nihil verò est, quod rei substantiam mõstret nisi genus, species, & differentia. Genus quidem & differẽtia monstrant substantiã speciei, species verò indiuiduorum. Quicquid ergo reliquũ est, in accidentium numero ponitur. Sed quoniã ipsa accidentia habẽt inter se aliquam differentiam: idcirco alia quidem propria, alia priore atq; antiquiore nomine accidentia nuncupantur. Proprium quadrifariam diuidunt, id est, quadrifariã dicunt: cuius quadrifariæ appellationis significationes enumerat, vt quæ sit congrua & conueniens nuncupatio proprietatibus, ostendat. Primùm igitur proprium soli speciei accidit, nullo tamen modo ei coæquatur, sed infrà subsistit & manet. Aliud proprium omni quidem speciei conuenit, sed non soli: quod huiusmodi est, vt omnem quidem speciem contineat, eamq; transcendat. quale est homini esse bipedem. est enim omnis homo bipes, sed nõ solus, quia aues sunt bipedes. Geminæ igitur significationes proprij quę superius dictę sunt, habẽt aliquid minus: prima quidem quod non omni, secunda quod nõ soli: quas si iungimus, facimus omni & soli. Sed est minus aliquid secundum tempus, si ei adiiciatur aliquãdo, fiet tertia proprij nuncupatio, vt omni soli & aliquãdo, vt est in senectute canescere, vel in iuuentute pubescere. quod si semper loco aliquando ponamus, simplex & integra fiet proprij significatio. Proprium est, quod omni soli & semper.

Proprium accidens præcedit, quòd proximius ad naturã speciei accedat q̃ accidens: cùm enim in reddenda cuique rei differentia laboramus, propriã ferè passionem in locum differẽtiæ subdimus

mus,vnde Philoſophus ſcribit in primo de anima,Accidētia per ſe maximè ad rei naturā cōferre.

Medicum eſſe,id eſt,artis medicę participem,ſoli homini competit. naturaliter quidem canes ſe curant,non ex arte.

Proprium iuxta ſecundam acceptionem, naturalem potentiā ſignificat.dicitur enim homo bipes,non quòd omnis homo naſcatur cum duobus pedibus , ſed quia natura nitatur hominem bipedem producere.natura ſiquidem impedita naſcuntur homines pedibus priuati.

Caneſcere,non videtur idoneum exemplum,quia ſecundum Pliniū canes & lupi,& ſecundum Ariſtot.equi caneſcunt . Præterea Ariſtot. in duodecimo capite primi priorum Analyticorū ſcribit, hominem nō ſemper caneſcere in ſenectute,præſertim cùm moriatur antequam perueniat ad ſenectutem:aut ſi peruenerit,canitie non afficiatur.Sed reſpondendum eſt lupos & canes nō propriè caneſcere , naturamq; ſuū ſcopum non ſemper attingere,quemadmodum medicus non ſemper curat,aut orator non ſemper perſuadet.

Proprium in quarta ſignificatione ſtrictius ſumitur quàm apud Ariſtot.in Topicis,qui nomine proprij nonnunquam definitionem intelligit,nonnunquā deſcriptionem vocat.Eſt enim propriū vox ſimplex,quæ ſpeciei,cui ſoli omni & ſemper conuenit,non indicat eſſentiam . Propriū dicitur ineſſe ſoli,quando omnibus aliis circunſcriptis & interemptis,ſpeciei ineſt , & ſpecie ſublata multis aliis aptatur.quare calidiſſimum ignis proprium non erit,cùm & in aëre ſit igne corrupto. Vide quæ profitetur Philoſophus ſub finem quinti Topicorum.

Paſſionum duo ſunt genera,quædam enim fluunt a forma quæ primo vniuerſalibus inſunt, vt riſibile homini primò accommodamus. aliæ manant à materia quæ indiuiduis cōfuſè captis primo adaptamus,vt corruptibile ſingulis rebus ex materia ſenſibili & forma compoſitis, vt confuſe ſumuntur,ineſt.

HAEC autem dicunt propriè propria,quoniam etiam conuertuntur].Illa cōuertuntur quæ de ſe mutuò vniuerſaliter affirmantur, vel quæ ſe ponunt & ſe corrumpunt . Cæterùm per prædicari conuerſim, ab accidente proprium ſeparamus.Non enim omne propriū fluit à forma, nec omnis accidentis oppoſitum in ſubiecto concipimus.aqua enim nunquam ſicca concipitur.

DE ACCIDENTE.

Accidens autē eſt,quod adeſt & abeſt,præter ſubiecti interitum.Quod in duas partes diſtribuēdum eſt. Alterum enim ſeparari poteſt , alterū non poteſt. Ac dormire quidem à ſubiecto ſecernitur:atrum autem eſſe ſic coruo & Aethiopi conuenit,ſeparari vt non poſſit.Poteſt autem & coruus albus,& Aethiops abiecto colore ſaluo ſubiecto intelligi . Definiunt autem illud etiam hoc modo , Accidens eſt quod poteſt eadem in re ineſſe & nō ineſſe:quodque neque genus eſt,neque differentia,neque propriū,& ſemper in re ſubiecta inhæret.Sed quoniā de iis omnibus dictum eſt,quę propoſita nobis erant(de genere inquā,ſpecie,differētia,proprio, & accidente) deinceps quid his ipſis commune ſit,quidque propriū,diſputandum eſt.

Expoſitis iis omnibus quæ nobis propoſita erant ad dicendum , quoniam ſequi deinceps accidens videtur,reſtat vt de eo ipſo diſſerendū eſſe videatur. In quo primùm illud intelligendum eſt, eum non iuxta pręceptionem conſuetam id explicare. In reliquis enim vocibus tradendis principiò varias earum ſignificationes eſt perſecutus, tumq; de qua Philoſophi loquerētur oſtendit:hoc verò loco id non agit,ſed accidentis confeſtim deſcriptionem auſpicatur, intelligens ſcilicet Philoſophos de accidentis ſignificatis omnibus verba facere.Iam ex eo quod accidens eſt, quod adeſt & abeſt ſine eius rei in qua ſitū eſt interitu,intelligi facilè poteſt,accidentia corpora nō eſſe.Nam ſi corpora eſſent,ea addita corporibus ipſa augerēt,atq; detracta minuerent:cùm igitur accidentia, neque adiecta neq; detracta perniciem corporibus inuehant , relinquitur certè vt ea expertia eſſe corporis ſtatuantur.Prætereà ſi ea corpora eſſent,futurum planè erat, vt vnus & idem locus multa corpora complecteretur:quod fieri non poteſt.In pomo enim & odoris ineſt ſuauitas, & color, & dulcor : atque hæc, ſi corpora eſſent, locum non erant vnum habitura . Quod fieri itidem nequit . Corpus enim corpore ſeparari non poteſt . Prætereà accidentia quidem ea quæ ſeparari à ſubiecto poſſunt,demoliri corpus atque perimere non ſolere , ſi accedant atque recedant , hinc perſpici licet . Nam ſedere, vel ſtare, vel calefieri, vel refrigerari , accedunt & recedunt , vt ſubiectum ſaluum incolumeque permaneat . Quid igitur etiamne ea quæ ſeparari non norunt ſine

rei

rei ſubiectæ interitu adeſſe poſſunt, atque abeſſe: Narium inquam (vt ita dicam) ſimitas, aduncitas naſi, atque in coruo nigror? Hæc ergo, quanquam non actu, poteſtate tamen atque intelligentia ſeparari dicimus: vt enim rectas aut incuruas nares animo ac ratione comprehendas, nihilo ſecius nares remanent. Porrò quædam in tradita etiam definitione dubitari ſolent. Aiunt enim nonnulli (quemadmodum à nobis anteà dictum iam eſt) definitionem accidentibus vniuerſis non conuenire: ſed iis duntaxat, quæ ab eo in quo inhærent ſeuocantur, adeſſe dico, ac abeſſe. Nigror enim ſic in coruo & Aethiope ineſt, vt ſeparari citra ſubiecti interitum nõ poſſit. Sed iam diximus, quanquam actu abeſſe atror non poſſit, poſſe tamen & coruũ album, & Aethiopem mutato colore intelligi, ac ab homine animal ne mẽte quidem abeſſe poſſe. Simul enim ac hominem non eſſe animal intelligimus, hominis naturam atque eſſentiam conuellimus ſtirpitus & interimus: at verò ſi coruum nigrum non eſſe, aut Aethiopem, perceperimus, ſubſtantiam eius, quatenus coruus eſt, aut homo, non deſtruimus. Et ſanè ſi quis coruo plumas detraxerit, coruus tamen conſiſtit, atque ſi Aethiopem candidum intellexeris, nihilominus homo perſtabit. Quamobrem accidentia ea quæ ſeparari non poſſe dicuntur, etſi ab eo in quo ſunt actu abeſſe non ſolent, vi ſua tamen poſſunt recedere. Dubitatur verò hoc etiam, quonam tãdem pacto adeſſe & abeſſe ſine eius rei in qua poſitum eſt interitu accidens dicatur: febris enim cùm acceſſerit animal, corrumpit atque vitiat. Dicimus itaque quæſtioni huic locum non in iis modò qui æſtu febrique iactantur, verumetiam in frigore nimio, ſiccitate, atque humore fuiſſe: quæ omnia cùm adſunt, animal ipſum interimunt. Reſpondemus ergo, vt è fidibus contentis atque remiſſis concentus quidam & apta numerorum omnium compoſitio efficitur, nec interimitur tamen ſubiectum: ſic hoc loco cùm nimium frigus calórue ſæuiit, animalis temperamentum & harmoniam labefactari atque peruerti, ſubiectum tamen, id eſt, corpus remanere. Id enim quod calori & frigori obuium atque expoſitum eſt, animal omnino non eſt, ſed corpus. Id autem ex contrariis componitur, calidis nimirum ac frigidis, ſiccis & humidis. Nam ſi homo, vt apud Hippocratem eſt, vna ex re conſtaret, nullo vnquam morbi genere afficeretur. Neque eſſet vnde doleret cùm vnum tãtummodo foret. Quòd ſi affligaretur, vna vtique curatio neceſſariò foret. Nunc verò iis inter ſe cõtemperatis, atque vna naturæ conſenſione ac ſocietate conſtrictis, non ex iis modò, quas diximus, contrariis qualitatibus animantium corpora conflata atque conſtituta ſunt, verumetiam ex interuallo quodam coaleſcũt quod ipſum trifariam licet omni ex parte demetiri: quodque cùm per ſe omni qualitate vacet, in eo qualitas hæret vniuerſa atq; nititur. Qualitas autem nulla ſuo ſubiecto repugnat, aut ei in quo inhæret, exitium parit. Cum enim ſubiectum ipſa ſuum ſubuertit atque obruit, ſeipſam ea quoque tollit. Nam ſi id in quo ineſt diſturbetur, ea cùm ſua vi conſtare ac cohærere non poſſit, protinus concidat neceſſe eſt. Nihil autem ſibiipſi exitium internitionemq; creat, ſeque nihil tabe aliqua, quaſi peſte opprimit: ſiquidem qualitati qualitas, non ſubiecto ſibi corpori, eſt contraria. Quamobrem nec febris nec alia quęuis qualitas rem eam in qua ſita eſt extinguit. Res enim omnes ſtatũ expetunt. Cùm igitur vna ex qualitatibus iis ex quibus conflatum corpus atque conſtitutum eſt ſuperarit, interire vniuerſam corporis compagem compoſitionemque neceſſe eſt. Cùm enim occupare ſubiectum ſtudet, vt in quo conſeruetur, eam quæ ei repugnat atque contraria eſt, tollit: vt expulſa ea ac profligata, in illius ſe locum inſinuet. Itaque quod facere qui de cõmuni inter ſe prędio confligantur & digladiantur, ſoliti ſunt, vt vnuſquiſque fuſo atque eiecto hoſte in eius ſubire atque irrepere enitatur: ſic cùm calidum atque frigidum inter ſe in eodem ſubiecto diſſentiant, quandiu neutrum euincit, apta quædam manet & temperata corporis compoſitio: alterum autem ſi exuperarit, ab eo deletũ quod vicit alterum, cedit, ac de ſede propria ſtatuque dimouetur: ſubiectum autem accipit nihil, nec à qualitate ea quæ ſuperior euaſit interimitur. Quocirca in febri compoſitio quidem illa, qualitatumque quæ in corpore inſunt temperamentum occidit: corpus autem ipſum, quod erat qualitatibus ſubiectum, non delabitur. Cæterùm iis quæ dicta à nobis ſunt fortaſſe quiſpiam obluctabitur, propterea quòd non quoduis omnino corpus febri ſubiectum ſit: ſed quòd illa aut alia qualitate temperetur: quod diuerſa ab eo temperatione diſſipatur, aut febri, aut frigore, aut alio generis eiuſdem quopiam accedente ſcilicet ac adueniente. Nõ quilibet enim qui à mediocritate recedit calor, febris eſt, vt quo ferrum, aut ignis incenditur: ſed qui in animalis corpore verſatur, & hoc ſanè ſublato, æſtus ac febris abeunt. Quæſtionem itaque ſuperiorem ita diſſoluimus. Motus & mutationes in quatuor ſunt Categoriis. Aut enim in eſſentia, aut in quantitate, aut in qualitate aut in loco verſantur. Ac naturę quidem cõmutatio ortum interitũque efficit. Ortus enim eſt, cùm quæ nulla erant, in conſtantiam quandam ſtatumque transferuntur: interitus autem, cùm id quod eſt in initia recidit. In quãtitate autem acceſſio & deceſſio ſpectantur: in qualitate, commutatio. Vt album fieri, & calidum fieri, & motus qui in aliis Categoriis ſpectantur. Prætereà & loci commutatio, quam lationem vulgus appellat. Si igitur ortus naturalis eſt rerum

Hippocrates in libro de natura humana, aduerſus Anaxagoram & Democritum, ueteresq; Philoſophos de eius quod eſt principiis diſputat cui accedit Ariſt. 1. libro phyſicorum.

φορὰν Ariſt. in libris de natura loci mutationẽ appellat, quam alii barbarè uertunt lationẽ.

earum

earum quæ nullæ ſunt in cohæſionem progreſſus:interitus igitur ei contrarius, earum erit rerum quæ ſunt ad eas quæ nullæ ſunt mutatio,eſtque naturę commutatio.Quare ſi febris ſubiectũ corrumpit,accidens non erit,ſed commutatio naturæ,quem interitum vocãt.Nam ortus atque interitus vt mutationes non ſint,ſine mutatione tamen non fiunt. Cùm ergo mediocris ſit commutatio,vt caloris,aut frigoris,nec rem in qua ineſt ſubuertit,accidens huiuſmodi qualitas eſt,quæ abeſſe etiam ſaluo ſubiecto atque incolumi poteſt.Cùm verò vehemẽtiſſima contentione extra modum prodierit,vt ſubiecti temperamenti conſtitutionem aptamq́ue compoſitionem peruertat, id verò tum demum cõmutatio non eſt atque affectio.Neque non fortuita mutatio, ſed ipſius eſſentię.Quare non quæuis febris ſubiecto tabem atque pernitiem importat,ſed ea duntaxat quæ mediocritatem illam modumq́ue exceſſerit,quæq́ue accidẽs non eſt:ſed rei ad eas res quæ nullæ ſunt eſt mutatio.Atque etiam de caluitio quæſtio quædam exiſtit: id enim ſubiectum, nempè capillos, aiunt corrumpere. Sciendum ergo eſt,caluitio,non capillos,ſed caput eſſe ſubiectum:illud verò vitium non contrahit.

Φαλάκρα νόσος τῶν τριχῶν φθαρτική.

ATRVM AVTEM eſſe ſic coruo & Aethiopi cõuenit,ſeparari vt nõ poſſit]. Scitè coruum & Aethiopem adiecit:multa enim atro ſunt colore imbuta,quę cãdore tingi atque infici poſſunt. Dictum autem à nobis iam eſt,accidentia etiam ea quæ ſeparari non poſſe dicuntur, intelligentia & ratione ab eo in quo ſita ſunt,poſſe ſeiungi:maximè verò propria, ne mente quidem atque animo poſſe ſecerni,ſine interitu rei in qua inhærent.Siquidem hominem ſine ratione intelligere nõ poſſumus:quia tum homo eſſe deſinit.Nec ſine immortalitate angelum,quia tum angelus nõ erit.

ACCIDENS EST quod poteſt eadem in re ineſſe & non ineſſe]. Deſcriptionem alteram accidentis tradit,quæ ipſa multò eſt priore accuratior.Aptius enim in accidentia quę ſecerni non poſſunt ea cadit deſcriptio,quæ accidens eſſe ait quod & ineſſe in eadem re & non ineſſe poteſt, quàm quæ id eſſe dicit,quod abeſſe poteſt & adeſſe ſine eius rei in qua ſitum eſt interitu: aut quæ hoc modo,quod nec genus eſt,nec differẽtia,nec ſpecies,nec proprium,ſemperq́; in ſubiecta re nititur. Quod idem in ſuperiores illas transferri poteſt:dicamus enim licet,Genus eſt, quod neque differentia eſt,neque ſpecies,neque proprium,neque accidens,ſemperq́ue cohæret: eodemq́ue in cæteris modo.Sed eas hoc modo Por.non definiuit,quia obſcuræ erant reliquæ,nec perſpectæ ſatis.Nunc verò expoſitis illis omnibus,iure ac meritò ſic accidens definiuit. Sed quoniam quatuor illæ ſublatæ non accidens modò inferunt,ſed Tragelaphum etiam atque alia multa, idcirco adiecit,præter ſubiectum id non poſſe ſubſiſtere, qua quidem ratione Tragelaphum prorſus expulit. Is enim in ſubiecto non inhæret,ſed puris ſolùm intelligentiis continetur.Cæterùm quia nõ quid eſſet accidens explicauit,ideo deſcriptionem à negatione deduxit,cùm dixit, quod nec genus eſt, nec cætera:porrò quid id ſit explanat,quia in ſubiecto inhæret.

BOETIVS.

ACCIDENS eſt quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem]. Ea enim tantum cum abſunt, ſubiectum corrumpere poſſunt,quæ rei naturam informant. quæ verò non efficiunt ſubſtantiam, vt accidentia, adeſſe & abeſſe poſſunt præter ſubiecti corruptionem.

POTEST AVTEM ſubintelligi & coruus albus].Occurrit obiectioni qua quiſpiam contenderet,definitum eſt accidens,id quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem. nunc verò dicimus accidens inſeparabile,quod abeſſe non videtur. Sed ſit ſæpe vt quæ actu diſiungi non valeant,mente & cogitatione ſeparentur,vt ſi animi ratione diſiũctæ ſint qualitates à ſubiectis,nõ ea periclitantur,ſed in ſua ſubſtantia permanent atque perdurant.Aethiopi igitur etſi color niger auferri non poſſit,eum tamen animo & cogitatione ſeparamus.quare per abeſſe,nõ re ſemper ſed animo intelligendum.Subſtantialia verò neque re,neque animo ſeparari poſſunt.

Accidens vltimum tenet locum,quia longiſſime ab rei eſſentia diſtat.

* Accidens hìc ſumitur pro ſecunda intentione,qua dicimus ſubſtantiæ aliquid adhærere.aliquando enim dicitur accidens quicquid à ſubſtantia diuerſum eſt,iuxta quam acceptionem dicimus omne ens eſſe ſubſtantiã, aut accidens.prætereà quicquid extra rei naturã cernitur, accidens appellamus:ſecundum quam nuncupationem ſuperioribus inferiora meritò accidere fatebimur. itaque Philoſophus in prædicamentis domino ſcribit hominem accidere: & quæ ſecundo loco & extrinſecus prædicantur,ſecundum accidens prædicari vbique profitetur.

Accidens adeſſe ſubiecto, eſt vere affirmari: abeſſe negari,præter ſubiecti corruptionem, id eſt,remanente ſubiecti ratione & natura.

Accidens ſeparabile vocamus quod nunc adeſt,nunc abeſt ſecundum rem,vt vigilare,dormire. Inſeparabile,verò quod mente & cogitatione ſeparatur.

POTEST AVTEM ſubintelligi coruus albus]. Quandocunque rem aliter eſſe,quàm non eſt imaginamur, falſò intelligimus: at qui æthiopem candidum concipit, rem aliter ſeſe habere quàm nõ ſe habet imaginatur:ergo mentitur.Prętereà vt vnumquodq́; exiſtit, ſic eſt particeps veritatis:

ritatis:ſed Aethiops non exiſtit abſque nigredine.nunquam igitur verum erit dicere,Aethiops nõ eſt niger:Reſpõdendum eſt nos poſſe intelligere Aethiopem abſque nigredine,& Aethiopem eſſe nigrum, ita vt non corrumpatur. Præterea non ſemper modo exiſtendi, reſpondet modus concipiendi. etſi enim non exiſtat quantitas abſque qualitatibus,tamen apprehenditur . Ariſtot.in. 7. cap.5.de generatione animalium ſcribit,coruum viſum fuiſſe album.iam enim perdix viſa eſt alba & coruus,& paſſer,& vrſa.

Quidam volunt hanc particulam,præter ſubiecti corruptionem,referendam eſſe ad poſteriorem partem definitionis,nempe ad abeſſe : multa ſiquidem accidentia,vt mori corrumpi inflammari, licet non poſſint adeſſe ſine corruptione,poſſunt tamen abeſſe. Poſſumus tamẽ dicere accidentia ſubiectum aliquod denominare,in quo tamen non recipiuntur.quemadmodũ enim motus mouens determinat licet in eo nõ ſit ſed in mobili,ita corruptio hominem denominat:ſed in materia tanquam in ſubiecto recipitur . mors præterea & viuens , hominem non eodem modo captum denominant.


ET QVOD neque genus] . Non eſt abſurdum definire accidens per abnegationẽ aliarum vocũ,cum ſint exacte declaratæ.vnde Themiſtius inquit duplicem eſſe definitionem,alteram qua cognoſcimus quid ſit res,& alterã,quacognoſcimus quid non ſit. Accidens autem dicitur eſſe ſemper in ſubiecto,quia quandiu eſt in rerum natura , ſubſtantiæ ſemper adhæret.

DE COMMVNITATIBVS ET differentiis quinque vocum.

Commune quidem eſt omnium de multis dici , quemadmodum dictum eſt.Sed genus quidẽ de formis ſub ſe poſitis & indiuiduis:vt & differẽtia:ſpecies verò de iis quæ ſub ipſa ſunt indiuiduis:Propriũ autẽ de ſpecie cuius eſt propriũ,& de iis quæ formæ ſubiecta ſunt indiuiduis:Accidẽs autem & de formis & de indiuiduis dicitur. Nãque animal & de equo, & de boue dicitur(quæ ſpecies ſunt)& de hoc equo,& illo boue,quę indiuidua: Rationis autẽ expers & de equo,& de boue effertur,& de ſingularibus : at ſpecies,vt homo,de ſingularibus,ſolùm enũciatur.Porrò propriũ & de ſpecie cuius eſt propriũ,& de iis quæ ſub ea cõtinentur indiuiduis dicitur. Veluti aptum ad riſum de homine:& de ſingularibus. Atror autem & de coruorum genere,& de ſingulis:cùm ex eo genere ſit accidentis,vt ſeparari nó poſſit:& moueri,de homine & equo , quia poteſt ſeparari . Sed præcipuè quidem,de indiuiduis:tum verò & de iis à quibus indiuidua continentur.

In rebus omnibus tria hęc ſpectantur,natura,ſimilitudo, diſtinctio.Naturam autem non eam quæ accidentibus contraria eſt,ſed rei cuiuſque vim atque eſſentiam voco, à qua res omnes entiũ appellationem trahunt.Habent verò & ſimilitudinem.Quoniam enim vnũ eſt naturæ totius initium,res omnes inter ſe communione quadam & ſocietate cõiungi neceſſe eſt. Atque etiam quia multa ſunt ea omnia quæ ſunt,commutationem quandam atque affectionem eſſe oportet,vt multa quoque ſint.Nam vbi multitudo,ibi & diſſimilitudo quædam conſiſtit . Itaque in vocibus his quinque exquirenda natura etiam eſt,ſimilitudo,atque diſcrimen.Naturam autem iam ſatis explicauit.Quare quid iis ipſis commune,quidúe propriũ ſit, deinceps exponit. Ac poſſũt quidem qui genio meliore nati ſunt,hæc per ſeſe ſatis aſſequi:ſed quoniam librum hunc ad eximium quẽdam veterum conſectatorem conſcribit,vt ſatis indicat cùm quæſtionibus iis vtitur potiſſimùm , quæ præſtant,quæque forti & virili vtuntur ratione & ſententia , ex iis quæ dicta ſunt collecta hæc in vnum tanquam cumulum coniecit . Et primùm quidem quid vocibus omnibus commune ſit oſtendit,tum quid cuique proprium . Porrò ſi quot copulationum inter ſe diſcrimina propoſitæ quæuis differentiæ efficiant intelligere voluerimus,hac via & ratione vtendum eſt.Sumendus eſt vnitate inferior numerus,iſque in eum qui primùm eſt propoſitus ducendus, ac qui inde orietur, bipertitò ſecandus, totidemque copulationes effici exiſtimandum eſt. Verbi gratia, quinque ſunt voces,quæ inter ſe committuntur.Numerum vnitate minorem , quaternarium , accipe:ac quater quinque ducito,naſceturque in ſumma viginti : atque horum rurſum dimidium cape,quæ ſunt decem ac totidem vocum quinque inter ſe copulationes eſſe dicito.Numerum porrò vnitate infe

riorem



riorem accipimus,quia nihil cum ſeipſo confertur : ſed cum alio ſemper aliud.Inter ſe verò ducimus quia eorũ comparationem exquirimus, ſiue differentiam.Producti autem numeri ſumimus medietatem,quoniam ex eo ductu vt duobus inter ſe modis committantur efficitur:Nam cum his quatuor genus comparatur,ac rurſum ſpecies cum reliquis quatuor confertur,eoque modo bifariam vt idem conferatur contingit : ob eamque cauſſam producti numeri dimidium in hanc ſeriem cooptamus.

SED PRAECIPVE quidem de indiuiduis]. Quæſtionem hoc loco admodũ neceſſariam Porphyrius tradit. Ait enim genus ac differentiam de formis & indiuiduis,quæ ſunt eis ſubiecta,enunciari.Nam & animal, & homo,Socrates nominatur:ſed ita tamen vt illa de formis primùm,ſecundo autẽ loco,ob eas ipſas,de indiuiduis dicãtur.Nã quia homo animal eſt,animal eſt Socrates:itẽque quia homo rationis particeps eſt,Socrates etiã rationis particeps exiſtit. Iã propria & accidentia de formis & indiuiduis efferũtur. Homo enim aptus ad riſum,atque Socrates appellatur: ac albus:ſed de indiuiduis quidem primò,tum verò de iis à quibus ſingula continentur formis . Non enim quia vniuerſus homo aptum animum habeat ad riſum,idcirco natos ad riſum ſingulos appellamus,aut candidos:nanque commune illud ac generale hominis caput ſine corpore eſſe & riſu intelligitur, ſed quia ad riſum nati albiue ſunt ſinguli.In vniuerſum autem de iis quę in multis ſunt,ſiue à multis,differit.

BOETIVS. Expeditis per ſe omnibus quæ per ſe propoſuit,& quantum in vniuſcuiuſque conſideratione poterat,ad ſcientię terminum breuiter adductis,nunc iam non de ſingulorum natura,id eſt,vel generis,vel differentiæ,vel ſpeciei,vel proprij,vel accidẽtis: ſed de ad inuicẽ relatione pertractat. Nam qui communiones ac differentias rerum colligit , non vt ſunt per ſe res conſiderat,ſed vt aliis comparantur . Id autem duplici fit modo:vel ſimilitudine , dum communiones tractantur:vel diſſimilitudine,dum differentię:quæ cum ita ſint, nos quoque(vt adhuc fecimus) propter planiorem intellectum, Philoſophi veſtigia perſequentes ordiemur de iis communitatibus quæ adſunt generi,ſpeciei,differentiæ,vel proprio,vel accidenti.

COMMVNE eſt omnibus].Antequam ſingulorum ad vnumquodque habitudinẽ tractet:illam prius reſpicit,quam omnes ad ſeinuicem habere videntur.Hęc autem eſt vna communio,quę poſitarum quinque rerum numerum pluralitate prædicationis includit . omnia enim de pluribus prædicantur.Accidentia principaliter indiuiduis inſunt,ſecundo loco vniuerſalibus,vt quoniam nigredo ſingulis coruis ineſt,dicitur adeſſe coruo.

* Poſtquam Porphyrius de quinque vocibus illas definiendo explicandoque copioſe tractauit, nunc vltimam huius libelli partem aggreditur,docens quid ſimilitudinis aut diſſimilitudinis inter ſe obtinent . Itaque communionẽ tradit qua quinque voces conſpirant : deinde alias ſubiicit quibus duæ tantum voces comparantur. Differẽtia quam vocamus genericam quamque philoſophus in primo topicorum generi coniũxit, de pluribus formis dicitur.quæ verò recurrit cũ ſpecie infima , vt diſgregatiuum viſus,pluribus formis non ineſt.

PROPRIVM autem de ſpecie]. Hic locus eſt intelligendus de ſpecie infima & eius proprio. Accidens vniuerſale verum eſt pluribus conuenire . nam ſingularia à quinque vocum numero excluduntur.nec oportet omne accidens vniuerſale de pluribus ſpeciebus dici,vt grammaticum, muſicum,& ſimilia ſpeciebus variis non adaptantur. Irrationale nõ ſumitur vt importat priuationem (tũc enim non eſſet differẽtia,quemadmodum ſcribit Rodolphus,)ſed pro eo quod animam brutalem ſignificat.Accidens primò & pręcipuè indiuiduis cõuenit,quia prima ſubſtantia ſe ſubſternit accidentibus quę materiam comitãtur: nec vnquã vniuerſale accidẽtibus afficitur, niſi per res ſingulas:nec poſſunt accidentia remanere peremptis ſingularibus,etiam ſi communes ſubſtantias remanere ponamus.Remanebunt autẽ ſi corruptis ſecundis ſubſtantiis, primas intelligamus.

DE COMMVNITATE GENERIS & differentiæ.

Communis autem generi cum differentia formarum eſt complexio. Continet enim differentia ſpecies,etſi non omnes quas genera . Præditum enim ratione,quanquam expertia rationis,vt animal,non complectitur:angelum tamen continet,& hominem , quæ ſpecies ſunt . Praætereà quæcunque

que dicuntur de genere vt genere, eadem de formis quæ generi ſubiectæ ſunt, enunciantur. Et quæcunque de differentia vt differentia, dicuntur: eadem etiam de ea quæ ex ipſa eſt ſpecie dicuntur. Nam cùm genus animal ſit, non ſolùm de eo dicuntur, quaſi genere ſubſtantia, & animatum, & ſenſus compos: verumetiam de iis quæ ſunt ſub animali, formis, vſque ad indiuidua dicuntur: cumque differentia ſit, rationis particeps, de eo vt differentia ratione vti dicitur: nec de eo ſolùm quod eſt particeps rationis, ſed etiam de formis quas id quod eſt rationis particeps complectitur, ratione vti dicetur. Quinetiam hoc commune illorum eſt, quòd iis peremptis, quæ ſub ipſis ſunt, perimi ſit neceſſe. Vt enim ſi non ſit animal, nõ eſt equus, neque homo: ſic ſublato rationis participe, nullum erit animal, quod ratione vtatur.

Comparatis inter ſe vocibus quinque, poſtquam docuit Porphyrius quid illis inter ſe commune ſit, & quo differant, nunc earum vnamquamque inſtituit ſumere, atque cum quatuor reliquis conferre, ac quo modo vnaquæque ab aliis multis diſcrepet, & quem cum illis concentum efficiat, explicare.

COMMVNIS AVTEM generi cum differentia eſt formarum complexio]. Nunc voces omnes ſingulatim tractat, atque inter ſe comparat, exponitque quid illis ſit commune, & quid denique peculiare.

CVMQVE differentia ſit]. An igitur quia de animali genus dicitur (nam genus animal eſſe dicimus) idcirco de ſpecie, & indiuiduo dicetur? Id enim ſi ita eſt, & homo, & Socrates genus erunt: & quia genus diſyllabum eſt, ideo & mortalis diſyllabum nomen erit. Dicendum eſt igitur, communiter proinde, vt genere, adieciſſe, quaſi diceret, quia res ſit. Non enim vt de affecto quopiam. Nam & genus, & diſyllabum, & cætera omnia generis eiuſdem, animalis affectionem explanant. Quæ ergo de animali quia animal ſit dicuntur (id enim, vt genere, denotat) ea planè de formis & indiuiduis dicantur neceſſe eſt: at verò in animali genus, non vt animali dicitur, ſed propter affectionem quandam. Nõ ſolùm enim hominis genus & equi & reliquorum animal eſſe dicitur: verumetiam color genus candoris, & atroris, & cæterorum. Quod idem in aliis Categoriis contingit. Quamobrem genus dicitur de animali, non quia animal ſit: ſed quia modo quodam ad ea quæ illi ſubiecta ſunt, affectum ſit: ob eamque cauſſam de formis & indiuiduis non exprimitur, eademque eſt ratio differentiarum. Nam quæ de differentia, vt differentia, non vt affectionem explicat, dicuntur, de iis quoque quæ ſub ea ſunt formis omnibus & indiuiduis enunciantur. ἄνθρωπος.

QVINETIAM hoc]. Duæ ſunt regulæ eius quod naturæ ordine prius eſt, Quod perimit quidem, at non perimitur: & quod infert nec infertur. Hæc autem generis atque differentiæ communia ſunt.

Poſt eam quæ cunctis viſa eſt communitatem, ſingulorum ſimilitudines ac diſſimilitudines quærit. & quoniã inter quinq; propoſita, genus & differẽtia vniuerſalioris prędicationis ſunt (ſiquidẽ genus, & differentia ſpecies continent, neque ab iis vllo modo continentur) primum generis ac differentiarum ſimilitudines colligit. Ac primã quidem ponit hanc, dicit enim commune eſſe generi ac differentię, vt ſpecies claudant. Nam ſicuti genus ſub ſe ſpecies habet, ita etiam differentię, non tamen tantas quantas habet genus. etenim quoniam genus differentiam etiam claudit, nec vnam tantum differentiam coercet ac retinet, plures neceſſe eſt habeat ſub ſe ſpecies quàm quęlibet vna earum quam claudit differentiarũ: vt animal rationale & irrationale, coercet & cõtinet. Ergo de his quæ ſub animali poſitę ſunt ſpeciebus, & quæ ſub irrationali prædicabitur. BOETIVS.

Commune eſt igitur animali, & rationali, id eſt, generi & differentiæ, quòd ſicut genus de deo & homine prædicatur: ita rationale quidem differentia de deo & de homine dicitur, ſed non tantum eius prædicatio funditur, quantum animalis, quod eſt genus. Animal enim non de deo ſolùm atque homine dicitur, ſed de equo & boue prædicatur, ad quæ rationale differentia nõ peruenit. Sed quandocunque deum ſupponimus animali, ſecundum eam opinionẽ facimus, qua ſolem ſtellaſque atque hunc mundum animatum eſſe confirmant, quos etiam deorum nomine (vt ſæpè dictum eſt) appellauerunt.

Secunda eſt communio generis ac differentiæ, Sicut ea quæ prædicantur de genere, dicuntur de ſubiectis generi, ita etiam quæ de differentia prædicantur, dicuntur de iis quoque quæ differentiis ſupponũtur. Tertium verò cõmune eſt, quòd ſicut abruptis generibus, ſpecies interimũtur, ita

conſumptis

conſumptis differentiis,ſpecies de quibus differentiæ prædicantur,intereunt.

COMMVNIS autem generi cum differentia formarum eſt complexio]. Data communitate qua quinque voces inter ſe conſpirant, Vnamquanque earum propoſuit ſumere,atque cum quatuor reliquis cõferre,ac quomodo vnaquęque ab aliis differat & quam ſimilitudinem habeat explicare.primò igitur genus & differentiã inter ſe comparat,quoniam reliqua tria naturaliter præcedunt.differentia diuiſiua de qua loquitur Porphyrius,non complectitur ſpecies omnes quas cõtinet genus:vt ſenſitiuum non continet plantam, quam tamen complectitur corpus animatum.

PRAETEREA quęcunque dicuntur de genere vt genere].Sẽſus eſt,de quocũque prædicatur genus in quantum genus,id eſt,inquãtum ſignificatiue ſumitur,de eo prædicatur quicquid de genere dicitur:& de quocunque dicitur differentia,de eo dicitur omne cui ſubiicitur talis differẽtia:quę quidem regula intelligenda eſt de his quæ dicuntur de genere vniuerſaliter . neque eſt colligendum ex hoc loco genus ſubalternum etiã ad ſuperiora generis nomen retinere, quia cum ait Porphyrius ,quæcunque prædicantur de genere vt genere, intelligit vt genere inferiorum : ita vt hic ſit ſenſus, quæcunque dicũtur de eo quod eſt genus.Differentia quando ſubiicitur, ſpeciei rationem ſortitur:de qua & ſi nihil poſſit enunciari vt differentia,enunciari tamẽ poteſt, vt eius accidens,vel proprium,vel genus.

CVMQVE differẽtia ſit, rationis particeps,de eo vt differentia ratione vti dicitur] . Ariſtoteles inquit,quicquid prędicatur de differentia,differentiam eſſe:ſed vti ratione non eſt differentia:alioqui inſani,qui ſunt rationis participes,ratione vterentur. Reſpondendum eſt quicquid eſſentialiter de differentia dicitur,differentiam eſſe,non reſpectu differentiæ quæ ſubiicitur, vt ſenſitiuum quod de rationali dicitur,eius non eſt differentia ſed animalis: dicitur etiam inſanus vti ratione ſecundum aptitudinem naturalem.

QVINETIAM illorum hoc commune eſt].Prioribus abruptis , re & ratione ſiue cognitione inferiora periclitantur:inferiora ſiquidem per priora definiũtur.cum igitur omnis ſpecies per ſuum genus & differentiam definiatur, his corruptis ſpecies nõ remanebit. vnde dicimus argumẽtum negatiue valere à genere vel differentia ad ſpeciem.

DE PROPRIIS GENERIS & differentiæ.

Proprium autem generis eſt,de pluribus quàm differentiam,quàm ſpeciem,quàm proprium, quamq́ue accidens enunciari. Animal enim de homine,equo,ac ſerpente dicitur : quadrupes de iis tantùm quæ quatuor pedes habent:homo de indiuiduis ſolis:hinniens de equo ſolo , & ſingularibus:eodemq́ue modo de paucioribus accidens. Sumendæ autem differentiæ ſunt quibus genus ſecatur,non quibus generis natura conſtituitur : ſed quibus id diuiditur.Prætereà genus differentiam poteſtate continet, (nam animalium alia rationis expertia ſunt,alia ratione vtentia)differentię autem genera non complectuntur.Deinde,genera ſuis ſunt differẽtiis priora . Itaque ſi perimantur,ſecum perimunt differentias.Perempto enim animali,rationis particeps & expers perimuntur.Differentiæ autem ſi tollantur , tolli genera non eſt neceſſe.Nam vt omnes tollantur,tamẽ eſſentia animata ſenſus particeps (quod animal eſt) intelligitur . Tùm verò genus in eo quod quid eſt,differẽtia in eo quod quale quid eſt(quemadmodum dictum eſt) effertur.Adhæc genus in formis ſingulis vnum eſt,vt hominis genus,eſt animal : multæ differentiæ , vt rationis particeps,mortale,mentis & ſcientiæ capax, quibus ab animantibus aliis ſecernitur.Poſtremò, genus materiæ ſimile eſt:formæ,differentia.Cùm autem & alia communia ſint & propria, generis,& differẽtiæ,hæc ſufficiant.

Poſtquam explicauit quid generi cum differentia commune ſit , nunc ea quo modo inter ſe differant oſtendit.Differentiæ autem duas in partes hoc tempore diſtribuendę ſunt:duobus enim

modis

modis ſpectari differentias diximus, vel vt conſtituunt, formarumque ſunt procreatrices: vel vt genera in partes & formas diducunt.

SVMENDAE AVTEM differētiæ ſunt quibus genus ſecatur]. Sumendæ ergo ſunt, inquit, differentiæ, non quæ generis vim naturamque complent (tum enim generum differentiæ nō ſunt, ſed formarum) verùm hæ, quibus genera in partes diuiduntur. Nam hæ generum ſunt. Siquidē ad plura animal quàm illæ pertinet. Iis enim quæ ſpecies complēt & efficiunt, arctius comprimitur.

EODEMQVE MODO de paucioribus accidens]. Atqui plures in res accidens quàm genus transfertur. Nam atror non ad animalia ſolùm, ſed etiam ad inanima pertinet. Quid cauſſę eſt igitur quamobrem de paucioribus id exprimi dicatur? Dicimus ea quæ ſub eodem genere continentur (vt accidēs quod in animantibus verſatur) anguſtius cogi quàm genus. Nigror enim in omnibus non ineſt animantibus. Eodemque modo accidens quod plantæ complectuntur, peræquè latè ac plantæ non patet.

PRAETEREA genus differentiam poteſtate continet]. Peripateticorum enim ratione dictum iam à nobis eſt, differentias vi ſua in generibus propriis priores differentiis reperiri.

AD HAEC genus in formis ſingulis vnum eſt]. Aliud eſt generis & differentiæ diſcrimen. Genus enim in quaque forma & ſpecie vnum, differentiæ in formis ſingulis ſunt multæ.

POSTREMO genus materiæ ſimile eſt]. Iā enim diximus, in multis generibus maximè naturale materiæ: differentiam, formæ reſpondere.

CVM AVTEM & alia communia ſint]. Multa eſſe prætereà quæ generis differētiæque propria ſint, & communia, inquit: hæc tamen ſatis multa eſſe. Horum enim naturæ communis etiam ratio eſt. Nam vt genus, ſic eſt naturalis differentia. Tum horum quoque commune eſt, eadem ratione & definitione enunciari: vt enim genus de omnibus formis quæ ei ſubiectæ ſunt, vna ratione dicitur, ſic & differentia. Quinetiam hoc vtrunque ab altero diſcrepat, quòd genus, vt animal, cū genere non copulatur, vt inde aliquid oriatur: differentiæ autem cum aliis differentiis coniungun tur, ac quippiam efficiunt. Siquidem quod rationis eſt particeps, quodque mortale, ac mentis & ſcientiæ capax, in vim naturamque hominis concluduntur.

PROPRIVM autem eſt]. Proprium quid ſit, conuenienti atque integro vocabulo definitū BOETIVS. eſt, ſed per abuſionem illa etiam propria quorumlibet dicuntur, quæ in vnaquaque re ab aliis con tinēt differentiam, licet cum aliis ſint ea ipſa communia. Per ſe quippè proprium eſt homini quod ei omni, ſoli, & ſemper adeſt vt riſibilitas: per vſurpatā verò locutionem proprium hominis rationalitas dicitur, non per ſe proprium, quippè quod ei cum deorum eſt natura commune: ſed hominis rationabilitas proprium dicitur ad diſcretionem pecudis, quod rationale non eſt. Id verò propter hanc cauſſam, quoniam id proprium vniuſcuiuſq; dicitur quod habet ſuum. quo igitur, quid ab alio differt, proprium eius non abſurda vſurpatione prędicatur. Sed nunc quod dicit proprium generis eſſe de pluribus prędicari quàm cætera quatuor, id ipſius generis tale proprium eſt quale per ſe proprium dici ſolet, id eſt, quod ſemper ſoli & omni accidit generi. Generi enim ſoli adeſt vt differentia, ſpecie, proprio & accidente vberius atque fluentius prædicetur, ſed de iis ſpeciebus, differentiis, propriis atque accidētibus id dici poteſt quæ ſub quolibet genere ſunt, id eſt, differentiæ quidem quæ quodlibet diuidunt genus. ſpecies, quæ diuiſibilis eſt, generis differentiis informatur. Proprium autem illi ſpeciei quæ ſub illo genere eſt. accidentia his hærent indiuiduis quæ ſub ea ſpecie ſunt quam deſignatum genus includit. hoc facilius exempla declarant. ſit enim genus animal, quadrupes ac bipes differētię ſub animali poſitæ cōtinentia. Homo autē atq; equus ſpecies ſub eodem genere conſtitutę, riſibile atque hinnibile propria earum ſpecierum. velox verò vel bellator dux ſunt accidentia quæ his indiuiduis accidunt quę ſub ſpeciebus hominis atque equi continentur.

ET ACCIDENS ſimiliter de paucioribus]. Accidens & ſi pluribus ineſſe poteſt, tamen ſæpè genere contractius inuenitur, vt bellator non niſi homo dicitur.

OPORTET autem differentias accipere quibus diuiditur genus]. Illę enim à quibus informatur genus, pluſquam ipſum genus ſiue dubio prędicātur: vt animatum & corporeum vltra animal tendunt cum ſint differentię animalis non diuiſiuæ, ſed potius conſtitutiuæ. Omnia enim ſuperiora de inferioribus prædicantur. quę verò de inferioribus prædicātur, nec conuerti poſſunt, hæc eis quæ inferiora ſunt amplius prædicantur.

DIFFERENTIAE verò non amplius ſimul auferunt genus]. Quęſtio naſcitur an differētiis ablatis poſſit remanere genus? Dicimus, poteſt. vnumquodq; enim ex iis ex quibus efficitur ſubſtantiam ſumit. Itaque fit vt genus ſublatis differentiis diuiſiuis permanere poſſit, dum tamen maneant illæ quæ ipſius generis formam ſubſtantiamque conſtituunt. Quoniam enim animal, animati atque ſenſibilis differentię conſtituunt, hę ſi maneant atque iungantur, perire animal non

poteſt

poteſt:licet ea pereant de quibus animal prædicatur, rationale ſcilicet atq; irrationale. vnũ quodque enim vt dictum eſt, ex iis ſubſtantiæ proprietatem ſumit: quibus efficitur, non ab iis quibus prædicatur.

AMPLIVS genus quidẽ vnum eſſe ſecundum vnãquãque ſpeciẽ]. Hoc intelligẽdum eſt de proximo. plura enim poſſunt eſſe ſuperiora, velut hominis animal atque ſubſtantia.

* EODEM MODO de paucioribus accidens]. Multi contendunt hunc locum particularem eſſe: Sunt enim quamplurima accidentia quę pluribus inſunt quàm genus: vt color de pluribus dicitur quàm animal. Sed ſi generis & accidentis naturam inſpexerimus, fortè locus videbitur vniuerſalis. Generis enim rationem nihil ſortitur: ſi ſpeciebus multis non inſit.

ACCIDENS verò de pluribus ſpeciebus prædicari non eſt neceſſe: præterea genus differentiam poteſtate continet]. Quicquid eſt vniuerſalius, continet: minus commune, cõtinetur. Itaque Porphyrius differentias nullo modo genus continere non negat: ſed vult omnem differentię ſignificationem genus complecti: non autem generis differentiam.

DIFFERENTIAE autem ſi tollantur, tolli genera non eſt neceſſe]. Si tollantur genera, ſpecies & differentię diuiſiuę pereunt, non è diuerſo. Genera enim ſecundum definitionẽ, differentias præcedunt.

Quinta differentia non eſt intelligenda de genere propinquo: quemadmodum putant nonnulli. Exemplum enim Porphyrij eſt de genere remoto. Præterea quẽadmodum diuerſa ſunt genera remota cuiuſlibet ſpeciei, Ita diuerſæ differentiæ. Et quemadmodum vnicum genus propinquũ, ſic vnam proximam differentiam ſpecies habet. Eſt igitur Porphyrij ſenſus, Species ſiue per genus Remotum ſiue propinquum definitione circunſcribatur, vnicum in ſua definitione genus expreſſum habet: plures tamen poteſt continere differentias expreſſas.

Obiectio. Vt ſe habet forma ad rem naturalem aut artificialem, ita differẽtia ad ſpeciem. Sed vnius rei naturalis, aut artificialis eſt vnica forma. Igitur vnius ſpeciei erit vnica differentia. Dicendum vnica differentia vltima ſpecies eiuſdem generis inter ſe diſtare.

DE COMMVNITATE GENERIS & ſpeciei.

Genus autem & ſpecies commune quidem habent, de multis, vt dictũ eſt, efferri. Sumatur autem ſpecies vt ſpecies ſolùm, non etiam vt genus, ſi fuerit idem & ſpecies & genus. Commune etiam eorum eſt, quòd ea priora iis ſint in quibus dicuntur, quodq́ue totum quoddam vtrumque ſit.

ὑπάλληλα alii uocãt ſubalterna quæ malo Græco nomine appellari, ut D. Auguſtinus facit, quàm illo barbaro. Quid autẽ ea ſint, apertius in Categ. indicabimus.

Poſtquam genus cum differentia comparauit, & quid commune habeant, quoq́ue differant expoſuit, nunc genus cum ſpecie confert, ac quid ea commune habeant oſtendit.

SVMATVR autem ſpecies vt ſpecies]. Præclarè, vt ſpecies, additum eſt: ne ſpeciem vltimam ſumas. Ea enim non etiam de multis affirmatur, vel ὑπάλληλομ, vt ὑπάλληλομ. Nam quæ ſub idẽ genus ſubiecta ſunt, genera & ſpecies eorum quæ poſt hæc poſita ſunt cenſentur: ac reperitur rurſum genus. Verum etſi id ὑπάλληλομ fuerit, ea tamen illud ratione ſumito qua ſpecies eſt, nõ qua genus: vt genera cum formis, non etiam inter ſe, committas.

COMMVNE etiam eorum eſt, quòd ea priora iis ſunt in quibus dicuntur]. Ob hanc rationem communitatem prȩſtruxit, quæ ea in multis dici aſſerit, vt dicat hæc priora eſſe iis de quibus enunciantur.

BOETIVS. SVMATVR autem ſpecies, vt ſpecies ſolùm]. De ſpecie loquitur infima quæ tantum ſpecies eſt, non etiam genus.

Species & genus priora ſunt his de quibus prædicantur. Sunt & totum eorum quæ intra ſuũ ambitum cõtinẽt & coërcent. Omnium enim ſpecierum totum eſt genus, & omnium indiuiduorum totum eſt ſpecies.

* Genus & ſpeciem comparat. ex prima communitate certum eſt ſpeciem ſubalternã non prædicari: ſed tantum ſubiici. Genus & ſpecies totius vniuerſalis rationem ſuſcipiunt.

DE DISCRIMINE GENERIS & ſpeciei.

Sed hoc intereſt, quòd genus ſpecies ac formas cõplectitur: Species autem cõtinentur, non genera cõprehendunt. De pluribus enim genus quàm

ſpecies

ſpecies enunciatur. Inſuper genera præponi oportet, eaq́ue informata ſpeciei efficientibus differentiis, ſpecies abſoluere. Quamobrem priora ſunt naturæ ordine genera, quippè quæ perimant quidem: at non perimantur. Etenim ſi ſpecies ſit, genus etiam omnino eſt. Si verò genus ſit, non omnino eſt ſpecies. Ac genera quidem vna ratione de formis ſuis efferuntur: formę de generibus non item. Nam genera hoc vincunt, quòd formas quę eis ſubiectæ ſunt complectuntur: ſpecies verò genera propriis ſuperant differentiis. Deinde neque ſpecies, in genus ſummum poſſit euadere, neque genus ad vltimam ſpeciem demitti.

Qua ratione hæc differant, inſtituit docere: perſpicua enim prima differentia eſt. Quæ autem in generibus verſatur, pręponi debet. Nam animal (vt dictum iam à nobis eſt) quaſi materia præſtructum eſt. Idq́ue cùm rationem & mortalitatem acceperit, hominem efficit. Præterea genus eſt animal, ſpecies homo.

QVAMOBREM PRIORA ſunt naturæ ordine genera]. Duæ ſunt regulæ, vt dixi, quibus quæ ſunt naturæ ordine priora ſecernuntur. Prima eſt, quæ priora ea eſſe ait, quæ tollunt, non tolluntur. Veluti, ſi perimatur animal, nihil loci homini relinquetur: at verò vt homo tollatur, animal permanebit. Itaque priora ſunt naturæ ordine formis genera. Secunda porrò regula eſt, quæ prius id conſtituit, quod infertur, non tamen infert: vt ſit homo, infertur vtiq; & animal: ſit animal, induci hominem non eſt neceſſe. Quocirca vtraque regula natura formis priora ſunt genera. Si enim ſit genus, non infertur omnino ſpecies. At ſi ſpecies conſtituatur, genus etiam erit. Genera autem formæ ſuperant. Etenim formæ reuera, quæ ipſas complent & efficiunt, differentias complectuntur.

SED HOC INTEREST, quòd genus ſpecies ac formas complectitur]. Differre dicit genus à ſpecie, quoniam genus continet ſpecies, vt animal continet hominem: ſpecies verò non continet genera. neque enim homo prædicatur de animali. Itaque fit vt ſpecies contineantur à generibus: nunquam verò contineant genera. Omne enim quod amplius pręaicatur, illius eſt continens quod minus dicitur: atque illud quod minus dicitur, continetur. quòd ſi genus amplius pręgdicetur, quàm ſpecies, oportet ſpeciem contineri: huius autem ratio, quoniam genus ſemper ſuſcipiens differentiam ſpeciem facit. hoc enim genus quod habet latiſſimam prædicationem, coarctatum & contractum, ſpeciem facit. Omnino enim generi iuncta differentia ſpeciem reddit, & ex vniuerſitate & latiſſima prædicatione inanguſtum ſpeciem terminum contrahit. animal enim ſi rationali & mortali contrahatur, hominis natura perficitur. vnde fit vt genere ſublato ſpecies auferatur, non contrà: veluti cum animal ſuſtuleris, interimitur etiam homo: ſi hominem auferas, animal reſtat. BOETIVS.

Species definitionem & nomen generis ſuſcipit: ſpeciei verò rationem genus non ſuſcipere videtur. ſubſtantiam enim priorum inferiora ſuſcipiunt. Quare genus vniuoce de ſpecie prædicatur, non autem de genere ſpecies.

Differunt genera à ſpeciebus hoc quoque, quòd genera ſuperuadunt ſpecies ſuas aliarum cõtinentia ſpecierum: Species verò genera differentiarum pluralitate. Animal enim quod eſt genus, ſuperuadit hominem quod eſt ſpecies, quia non hominem ſolum continet, verùm etiam bouem, equum aliaſq́ue ſpecies quas ſuę ſpatio prædicationis includit. Species verò vt homo ſuperuadit genus, vt animal, multitudine differentiarum. Nam actu genus non habet rationale vel mortale, nullas quippè actu genus retinet differentias, eaſdem ſpecies ſuæ ſubſtantiæ inhærentes atque inſitas tenet. homo enim rationalis eſt atque mortalis. animal verò neceſſariò non eſt rationale. Illa quoque eſt differentia, quòd genus, quoniam omnium primum eſt, nunquam in tãtum deſcendere poterit vt fiat vltimum: ſpecies verò quæ cunctis eſt inferior, nunquam in tantum aſcendere poterit, vt ſuprema omnium fiat. nunquam igitur nec ſpecies generaliſſimum, nec genus ſpecialiſſimum.

DE PLVRIBVS enim genus quàm ſpecies prædicatur]. Ratio quam ſubiungit Porphyrius, demonſtrat ſpecies à generibus contineri nihil aliud eſſe, quàm ipſas minus eſſe vniuerſales. Quare facile diluetur obiectio, qua quis diceret ſpeciem in ſua definitione genus continere. genera differentiis informãtur, quia quemadmodum materia forma pręſente determinatur ad quandam certã rem, ſic generi iuncta differentia ſpeciem certam reddit. *

VNDE PRIORA ſunt naturaliter genera ſimul interminantia]. Senſus eſt, perempto ge-

nere,periclitatur ſpecies:poſito genere,nõ ſtatim ſequitur ſpeciem eſſe. Prius natura dicitur,quicquid ſublatum intellectu aliud ſecum tollit,& poſitum in intellectu non ſequitur aliud eſſe. Poſterius autem, quo ſublato alterum non tollitur:& quo poſito alterum ponitur: ex quibus definitionibus manifeſtum eſt genus prius eſſe,& ſpeciem poſteriorem. Genus de ſpecie dicitur vniuocè, id eſt,ſecundum nomen & rationem vniuerſaliter affirmatur.

AMPLIVS genera quidem abundant,earum quæ ſub ipſis ſunt ſpecierum continentia]. Genus vno modo ſpeciem ſuperat, & altero ſuperatur. Superat quidem,quia ſub ſe continet ſpecies varias: Superatur verò, quia plures differentiæ ponuntur explicitè vel implicite in definitione ſpeciei quàm generis.

DE COMMVNITATE GEneris & proprij.

Generi cum proprio hoc commune eſt,quòd ſpecies vtrunque ſequitur. Nam ſi quid homo eſt, animal eſt: & ſiquid homo eſt, aptum eſt ad riſum. Illud etiam, quòd æquè genus de formis dicitur, ac proprium de iis quæ illo participant indiuiduis. Aequè enim homo atque bos animalia ſunt:ac Anytus & Melitus, ad riſum nati. Commune hoc etiam eſt, quòd vna ratione genus de formis,& proprium de iis quorũ eſt proprium, dicitur.

Anytus & Melitus Socratis inuidi: ut ex argumento Nebularũ Ariſtopha. perſpici poteſt.

Vbi cum ſpecie genus contulit,nunc cum proprio ipſum comparat. Sequi autem dicitur,aut maius minus neceſſariò:vt hominem animal. Nam ſi homo ſit,animal etiam erit. Aut par res,parem:vt hominem rurſum aptũ ad riſum. Nam ſi homo ſit,continuò aptum ad riſum ſit neceſſe eſt.

COMMVNE HOC etiam eſt, quòd vna ratione]. Vides,vt propter affinitatem conuenientiamq́ue hanc,naturalibus germanum,ac penè conſanguineum proprium eſſe dixerimus,& iis quæ naturam ſuam omnem in ſubſtantia cohærentem habent:propiuſque ad vim naturalium accedere.

BOETIVS. Hîc præſcribuntur tres generis cum proprio cõuenientię: prima,genus & proprium ſpeciẽ nunquam relinquunt. Poſita enim ſpecie proprium ponitur,item genus: vt ſi homo eſt, ſtatim ſequitur animal eſſe & riſibile. Secunda,genus & proprium æqua prædicandi ratione ſuis conueniunt. æqualiter enim homo eſt animal:neque magis quàm bos aut equus:ſed eo quod ſunt animalia æqualiter animalis vocabulum retinẽt. Cato etiam & Cicero Riſibiles ſunt, & ſi æqualiter nõ rideant. In eo autem,quod apti ad ridendum ſunt, dici riſibiles poſſunt: non quòd iam rideant. Tertia,genus & proprium vniuoce prædicantur. Genus enim quoniam ſubſtantiam ſpeciei continet,non modo eius nomen verumetiã definitio,de ſpecie prædicatur. Proprium verò ſpeciẽ nõ relinquit,quam ſemper ſequitur:nec in aliam ſpeciẽ tranſgreditur,nec infrà ſubſiſtit. Quare definitionem ſpeciei propria tradunt. Cuius enim nomen conuenit ſpeciei,cui coęquatur:dubiũ non eſt quin eius quoque definitio ſpeciei conueniat.

* Genus ſecundum rem & ſecundum intellectum neceſſariò ſpeciem ſequitur. Proprium verò duntaxat ſecundum rem. Poteſt enim ſpecies abſque proprio mente concipi.

Proprium ſecundum temperamentum corporis ſuſcipit magis vel minus:quod manifeſtè concedit Ariſtoteles in primo politicorum:quũ inquit, quoſdã homines à natura ſeruos eſſe minuſq; aptos ad diſciplinam,quoſdam verò liberos & magis idoneos ad virtutem: ſecundum tamen ſpeciei naturam & aptitudinem,cremento decrementoq́ue propriũ nõ variatur. Prędicari vniuoce in pręſentia,eſt eodem nomine & eadem ratione eſſentiali,vel accidentali cõuenire. Proprium enim de ſpecie accidentaliter prædicatur. Non eſt igitur quod quis Porphyrio Ariſtotelem obiiciat dicentem in prædicamentis,nihil eorum quæ ſunt in ſubiecto, ratione prædicari, Proprium verò in ſubiecto eſſe. Ariſtoteles enim de ratione ſubſtantiali loquitur.

DE DIFFERENTIA GENEris & proprij.

Inter ea autem intereſt,quòd genus prius eſt,poſterius proprium. Debet enim eſſe animal,deinde differentiis atque propriis diſtingui. Iam de multis formis genus dicitur: proprium, de vna ſola quapiam ſpecie, cuius eſt

proprium. Prætereà conuerſim proprium & id cuius proprium eſt dicuntur: genus autem conuerſim de nullo dicitur. Neque enim ſiquid animal eſt, homo eſt, neque ſi animal, ad riſum natum: homo verò natus ad riſum eſt, & viceuerſa. Prætereà proprium ſpeciei omni, cuius eſt proprium, conuenit, & ſoli, & ſemper: Genus autem in omni quidem ſpecie cuius eſt genus, & ſemper: non etiam in ſola, reperitur. Præterea ſublata propria, genera ſimul non tollunt: at verò perempta genera ſpecies perimunt, quæ propria complectuntur. Quare iis quorũ propria ea ſunt ſublatis, ea quoque tolluntur.

Quo modo inter ſe conueniant poſtquàm expoſuit, nunc quo differant oſtendit: Prius autem non naturæ, ſed temporum ordine dicitur.

AT VERO perempta genera ſpecies perimunt, quæ propria complectũtur]. Ergo ſi genera tollantur, propter ſpecies interiectas peremptas, ſtare ipſa propria nequeunt. Homo enim ſi perimatur, aptum etiam ad riſum ſecum vnà tollit, Idque meritò. Nam ſi formis peremptis conſtare propria nullo modo poſſunt, ſublatis autem generibus formę tolluntur: generibus igitur peremptis ſupereſſe propria non poterunt.

Rurſus tale proprium ſumit quod ad alterius nuncupationem proprium dicitur. inquit enim BOETIVS. proprium eſſe generis, eſſe prius quàm propria, quòd velut materia differentiis ſupponatur: veniẽtibusque differentiis ſpecies fiunt cum quibus propria naſcuntur. Si igitur prius eſt genus quàm differentiæ, prius etiam differentiæ quàm ſpecies, & ſpeciebus propria coęquantur, non eſt dubium quin propria generibus poſteriora ſint.

IAM DE MVLTIS FORMIS genus dicitur]. Nam neque genus eſt, niſi plures ex ſe ſpecies proferat: nec proprium, ſi alteri cuilibet ſpeciei poſſit eſſe commune. Proprium prędicatur conuerſim cum eo cuius eſt proprium, non autem genus. Differt etiam proprium à genere, quòd proprium vni ſoli ſpeciei & omni & ſemper adeſt. Genus verò ex his quidem duo retinet. In vno verò ſemper diuerſum eſt. Nam ſpeciebus ſuis & ſemper adeſt, & omnibus: non verò ſolis, vt riſibile homini ſoli: Animal eidem homini, ſed non ſoli. præeſt enim cunctis quæ irrationalia nuncupamus.

PRAETEREA SVBLATA propria]. Boetius ſic habet, ſpecies quidem interemptę non ſimul interimunt genera, quorum ſunt ſpecies: propria verò interempta ſimul interimunt ea quorum ſunt propria. & iis quorum ſunt propria interemptis: & ipſa ſimul interimuntur.

Quicquid eſt prius priore, eſt & poſteriore, ſed genus ſpecie prius eſt: ſpecies proprio. Igitur proprium genus præcedit. *

NEQVE ENIM SI QVID animal eſt, homo eſt]. Ratio quã ſubiicit Porphyrius ſatis aperit genus & proprium comparanda eſſe cum vna ſpecie. Genus enim cõuerſim cum ſpeciebus ſimul captis, cum ſuo proprio, ſua definitione prædicari non negamus.

PRAETEREA SVBLATA PROPRIA genera ſimul non tollunt]. Senſus eſt corrupta ſpecie ſecundum rem, genus non aufertur: Proprium tamen periclitatur. Proprium igitur & genus diſtare, certum eſt.

DE COMMVNITATE GENERIS & accidentis.

Generi porrò cum accidente commune eſt, de multis (vt diximus) enunciari: ſiue ſeparari id accidens poſſit, ſiue non poſſit. Etenim & motus de multis, & nigrum de coruis, atque Aethiopibus, aliiſque inanimis quibuſdam, dicitur.

Differt verò ab accidente ea parte genus, quà longiſſimè ab eo recedit. Itaque communitas tradi facilè non poteſt, quia minima eſt: diſcrimen explicari nullo negocio poteſt. Nam quæ plurimum inter ſe diſcrepant, in multis eorum partibus diſſentiunt, quemadmodum in iis quæ

ſocietate intima coniunguntur, differentiam in procinctu non eſt reddere: communitatem facile: veluti, facile eſt canis & lupi diſcrimen exhibere, ac palumbi & columbæ: differentiam autē non item. Præterea quid homo à formica differat, facile & expeditum eſt proloqui: quo autem pacto cum ea conueniat, difficile. Atque (vt ſummatim complectar) quæ longè à ſeinuicem recedunt, quæque aperto diſcrimine ſeparantur, communitates paucas habent, & varietates permultas. Quę autem non diſcrepant, ſed inter ſe conſentiunt, differentiam ſunt raram ſortita, ac communitatem luculentam.

BOETIVS. Nihil eſt quod in cæteris ita ſit à generis ratione diſiunctum, ſicut eſt accidens. Nam cùm genus cuiuſlibet monſtret ſubſtantiam, accidens verò à ſubſtantia lōge diſiunctum ſit, & extrinſecus veniens, nihil notius commune habere poteſt cum genere, quàm de pluribus prædicari.

* Genus & accidens conſpirant: quia quemadmodum genus de pluribus dicitur, ita & accidēs ſiue ſeparabile, ſiue inſeparabile multis adhæret.

DE DIFFERENTIA GENEris & accidentis.

Differt autem genus ab accidente, quòd formis genus prius eſt: accidentia verò ſunt poſteriora formis. Nam etſi immotum ac inconcuſſum accidens ſumatur, tamen id cui aliquid accidit, accidente prius eſt. Hoc etiā, quòd quæ genere participant, æquè ipſo participant: quæ accidente, non æquè. Contentionem enim & remiſſionem accidentum recipit participatio: generum verò, non item. Et in indiuiduis primò conſiſtunt accidentia: genera autem & ſpecies naturâ priora ſunt indiuiduis ſubſtantiis. Item, genera in eo quod quid eſt de iis quæ ſub eis ſunt: accidentia autem in eo quod quale quid eſt, dicuntur, & quo modo ſe habet vnumquodque. Nam qualis eſt Aethiops ſi rogaris, nigrum eſſe reſpondes: ſi quo modo ſe habeat Socrates, ægrotare eum vel valere inquis. Ac quibus quidem rebus à cæteris genus differat, diximus: neque ſecùs reliquas à quatuor aliis differre contingit. Quare quinque cùm ſint voces, ſingulæque ab aliis differāt quatuor, effici videtur, vt quater quinque ducta, viginti differentias omnes expleāt. Sed non ita eſt: Verùm cùm ſequentium ratio enumeretur, ac non præcedentium, duæ voces vna carent differentia, proptereà quòd iam ſumpta ſit: tres verò, duabus, quatuor, tribus: quinque, quatuor: ac reſtat vt decem tantum ſint differentiæ: quatuor, tres, duæ, vna. Genus enim quid à differentia, & ſpecie, & proprio, & accidēte differat, diximus. Quare quatuor hinc exiſtunt differentiæ. Differētia autem quid à genere differret docui, cùm quid ab ea genus diſcreparet, oſtendi. Reliquum eſt igitur, vt quid differat ſpecies à proprio, & accidente dicamus: quæ tria ſunt diſcrimina. Rurſus quid ſpecies à differentia, tum dixi, cùm quid differentia à ſpecie diſtaret expoſui. Quid etiam à genere differat ſpecies dictum eſt, cùm quid à ſpecie genus differret dicebatur. Supereſt igitur, vt quid à proprio & accidēte differat ſpecies, dicatur: quæ duæ erūt differentiæ. Itaq; proprij cū accidēte reſtabit differentia. Nā quid à ſpecie, & differentia, & genere differret, antè docui, cùm quid hęc inter ſe diſtarent traderem. Cùm igitur generis cū cæteris quatuor diſcrimina ſumantur: differētiæ, tria: ſpeciei duo: proprij cū accidente,

accidente,vnum:ſanè in ſumma decem omnia erunt:è quibus quatuor(generis inquam cum vocibus aliis) iam oſtendimus.

Quoniam igitur plurimum inter ſe genus & accidens differunt, minima eorum eſt communitas,& differentia multa:quò ſanè factum eſt, vt vnam eorum communitatem Porphyrius oſtenderit:diſcrimina verò permulta.

CONTENTIONEM enim & remiſſionem accidentium recipit participatio]. Nam homo,& equus,cæteræque ſpecies,æquè animali participant. Animantes enim peræquè ſunt : ſecùs corpora cãdore imbuta atque atrore eſſe dicũtur. Alio enim candidius aliud atriuſque nominatur.

AC QVIBVS QVIDEM rebus à cæteris genus differat,diximus].Hinc tradere Porphyrius inſtituit,quot affectiones ex comparatione quinque inter ſe vocum oriantur. Naſci enim collationes dixit,non,vt quiſpiam arbitretur,viginti:propterea quòd bis vnaquæque vocum quinque cum alia conferatur,vt quater quinque ducta viginti in ſumma diſcrimina omnia conficiant. Sed quandam nobis in præſentia viam oſtẽdit,quam & paulò antè attigimus, ex qua affectionum nobis,quas collatæ inter ſe voces pariant,ineunda ſit ratio. Ait enim(quemadmodum à nobis antea dictum iam eſt) propoſitum nobis numerum , in eum qui ſit vnitate inferior ducendum eſſe: productorumque ſumendum dimidium,ac totidem affectiones effici cõſtituendum : veluti, in re inſtituta,quinarius ducendus in quaternarium vnitate minorem erat,ex quo viginti naſcuntur:atque horum ſumendum dimidium,vnde denarius colligitur . Tot ergo vocũ inter ſe quinque ſunt comparationes. Porrò cauſſa quamobrem ita agamus,hæcce eſt. Singulas voces cum aliis quatuor conferri neceſſe eſt,ob eamque cauſſam quater quinque ducimus,fiũtque affectiones viginti . Sed quoniam bis affectiones eædem in vnum conferuntur , idcirco dimidium accipimus . Cùm enim cum aliis quatuor genus confertur, id cum differentia committi perſpicuum eſt . Itaque ſi differentiam cum cæteris quatuor conferamus , vt duobus modis res eadem comparetur,continget, quod idem in reliquis omnibus euenit . Atque etiã alia eſt nobis ratio , ex qua affectionum numerus,qui ex vocum quinque comparatione inter ſe relinquitur,intelligi facilè poteſt. Nam ſi voces aliquæ fuerint,eæque ſibi inuicem adiiciantur,iuxta vnamquamque vocem totidem affectiones cõcludentur . Sint enim(verbi cauſſa)propoſitæ voces quinq;.Ex prima igitur collatio nulla oritur : altera ſi addatur , vna exiſtet comparatio : quandoquidem vna eſt vox propoſita : tum ſi altera etiam aduoluatur , duæ emergent , pro vocum numero . Quare tres affectiones exiſtent. Cùm verò ad tertiam vocem ventum erit , duarum ratio habebitur , relinquenturque ſex collationes : poſtremò cùm ad aliam etiam , quatuor: decem vt omnia fient. Porrò duci hæc etiam ratio inirique poteſt , Singulæ voces cum reliquis quatuor ſunt comparandæ . Cùm igitur genus cum reliquis quatuor comparatur,quatuor efficiuntur affectiones : differentia autem collata iam cum genere eſt, cùm genus cum ea conferretur. eadem enim eſt ratio . At ſi cum reliquis tribus conferatur,tres relinquentur,vt ſeptem oriantur.Rurſum ſpecies cum genere & differentia commiſſa eſt,cum genus cum ipſa contulimus . Cum duobus reliquis id ſi componatur comparationes duæ naſcentur , adeò vt nouem hinc oriantur. Præterea cum genere,differentia,ac ſpecie commiſſum eſt proprium , cùm illa cum eo componerentur.At verò id ſi cum accidẽte, comparetur, efficitur & oritur vnica affectio : Quare decem relationes vniuerſæ concluduntur. At enim affici ad reliqua accidens non poteſt,nec cum illis ratione aliqua conferri , id enim cum omnibus iam eſt comparatum,quando illa cum eo confererentur . Perſpicuum igitur iam eſſe debet omnes in ſumma affectiones quatuor relinqui,tres,duas,& vnam.Ac generis quidem cum aliis vocibus collationes,quatuor colliguntur , differentiæ, tres:ſpeciei,duæ:proprij, vna,quæ illi eſt cum accidente.Itaque ex iis in vnum collatis omnibus decem fiunt . Iam verò cum genere comparatum non eſt proprium,quoniam cum eo genus collatum iam eſt.

RELIQVVM EST igitur].Eadem enim generis eſt ad differentiam affectio,quæ differentiæ eſt ad genus.

Genus ante ſpeciem eſt , quippè quòd loco materiæ ſit, & differentiis informatum ſpeciem componat . at verò accidens eſſe poſt ſpecies inuenitur . Oportet enim prius eſſe cui accidat : pòſt verò ipſum accidens ſuperuenire . Nam ſi ſubiectum non ſit quod ſuſcipiat : accidens eſſe non poterit.genus igitur prius eſt accidente. BOETIVS.

Rurſus alia differentia,quoniã genus neq; intenſionem neque remiſſionẽ ſuſcipere poteſt. Quo fit vt quæ participant genere: æqualiter eius nomen deffinitionẽque ſuſcipiãt. Omnes enim homines æqualiter animalia ſunt: eodem modo equi:necnon inter ſe homo atque equus & cætera animalia cõparata æquè animalia prædicãtur. Accidẽtis verò participatio & intenditur & remittitur.

Omnes enim æthiopes non æque nigro colore esse obductos inuenies. Tertia differentia. Accidēs in indiuiduis principaliter subsistit: genera verò speciebus & indiuiduis priora sunt. Nisi enim singulariter corui nigredine infecti sint: corui species nigra esse nullo modo diceretur.

QVARE QVINQVE cùm sint voces]. Quoniam differentias & communitates generis ad differentiam, ad speciem, ad proprium & accidens persecutus est: idem quoque de cæteris facere contendens prædicit, quot omnes differentiæ possunt esse, quæ inter se comparatis commixtisque rebus iis quæ suprapositæ sunt, efficiantur, sunt autem 20. Nam cùm quinque sint res, quater autem quinque sint viginti, cōsequio haud difficili ratiocinandū est viginti esse differētias, quod appositarum literarum manifestatur exemplo. Sint quinque literæ a.b.c.d.e. differat igitur a. ab aliis quatuor, id est, b.c.d.e. fient quatuor differentię. rursus b differat ab aliis quatuor, a.c.d e. erūt rursus quatuor, quæ superioribus iunctæ octo coniungūt. c verò à reliquis differt quatuor, scilicet a.b.d.e: quæ quatuor differentiæ superioribus octo copulatæ, 12. reddunt. quarta d si reliquis quatuor comparetur: differt æquè ab eisdem, a.b.c.e. fient igitur rursus quatuor quæ superioribus 12 appositæ, 16. copulant. quòd si vltima e. ab aliis quatuor differat, scilicet, a.b.c. d: fiēt aliæ quatuor differentiæ, quæ compositæ prioribus 20. perficiunt. & fit quidem huiusmodi descriptio.

a	b	c	d	e
b c d e	a c d e	a b d e	a b c e	a b c d

Quæ cùm ita sint, in generibus quoque & speciebus & cæteris idem considerabitur. erunt ergo quatuor differentię quibus genus à differentia, specie, proprio, accidenteque disiungitur. Aliæ rursus quatuor: quibus differentia à genere, specie, proprio & accidente discrepat. Rursus quatuor speciei ad genus, differentiam, proprium atque accidens. quatuor etiam proprij ad genus, differētiam, speciem atque accidens. quatuor insuper accidentis ad genus, differentiam, speciem atque proprium: quæ coniunctæ omnes. 20. explicant differentias: sed hoc, si ad numeri referatur naturam, comparationisque alternationem. Nam si ad ipsas differentiarum naturas vigilans lector aspiciat: easdem sæpe sumptas differentias inuenit: quo enim genus differt à differentia, eodem differentia differt à genere. & quo differentia distat ab specie: eodem species à differentia disgregatur, & in cunctis eodem modo. in hac igitur disputatione differentiarum quam suprà disposui, easdem annumeraui sæpius. Itaque si differentiarum similitudines subtrahamus: decem fiēt omnino differentiæ, quas ad præsentem tractatum velut diuersas atque dissimiles oportet assumere. Age enim differat genus, à differentia, specie, proprio atque accidente, quatuor differētiis quas suprà iam diximus. Item sumamus differentiam: distabit hæc à genere primum, dehinc à specie proprio & accidente: sed quo discrepet à genere, Iam superius explicatum est, cum diceremus quo genus à differentia discreparet. detracta ergo hac comparatione (quoniam suprà commemorata est:) relinquntur tres differentiæ, quibus differentia à proprio, à specie accidenteque disiungitur. quæ iunctæ cum superioribus quatuor: septem reddunt differentias. post hanc species si sumatur, quatuor quidem eius essent differentiæ secundum numeri diuersitatem, cum ad genus differentiam proprium atque accidens comparatur: sed priores duæ comparationes sunt iam dictæ. Nam quo species differat à genere: tunc dictum est cum quid genus differret ab specie dicebamus. quid verò species à differentia distet, commemoratum est, cùm differentiæ ad speciem dissimilitudines redderemus. quibus detractis duę supersunt integræ atque intactæ speciei ad proprium & accidens discrepantiæ. quæ iunctæ cum septem: nouē differentias copulant. proprij verò si ad numerum differentiæ considerentur, quatuor erunt scilicet ad genus differentiam speciem atque accidens comparati: quarum quidem tres superiores differentiæ iam dictæ sunt. Nam quo à genere proprium distet: tunc dictum est, cum quid genus à proprio distaret, ostendimus. Rursus quid proprium à differentia discrepet, in colligenda distantia differentiæ propriique superius demonstratum est, quid verò proprium differat à specie, tunc expositū est quando quid species distaret à proprio dicebatur. restat igitur differentia vna proprij ad accidens: quæ superioribus iuncta, decem differentias claudit. Accidentis verò ad cætera possent quidē esse quatuor: nisi iam omnes probarentur esse consumptæ. Nam quid differat vel genus, vel differentia vel species vel proprium ab accidente, suprà monstratum est: nec sunt plus differentiæ diuersæ accidentis ad cætera, quàm cæterorum ad accidens. Itaque fit vt cum sit quinque rerum numerus, si prima assumatur, quatuor fiēt differentiæ. si secunda, tres, vincanturque secūdæ rei ad cæteras differentiæ, à prima ad cæteras, vna tantum distantia. nam cùm prima habuerit quatuor, secunda retinet tres: tertia verò si assumatur, duas habebit. differentias quæ vincantur à primis quatuor, differentiis duabus: quarta si sumatur, vnam habebit differentiā, quæ vincitur

à primis

à primis quatuor, differentiis tribus. quinta verò quoniam nullam habebit omnino differentiã nouam, totis. 4. à prima differentiis ſuperatur. atque hoc numerorum gradu quidem vſque ad denarium numerum tenditur: quatuor, tres, duę, vna: vt generis quidem quatuor, differẽtię verò tres: ſpeciei, duę, proprij. 1. accidentis nulla eſt.

Primæ generis quidem comparationes, quatuor nouas tenent differentias: ſecundę verò differentiæ comparationes, tres nouas tenẽt. vna enim ſuperius annumerata eſt. vincitur autem à primis quatuor nouis differentiis, vna tantum. ſpeciei verò tertia comparatio, duas tantum habet differentias nouas: duas quippè ſuperius enumeratas cognoſcimus: & vincitur à quatuor primis, duabus tantum differentiis nouis. proprij verò vnam tantum retinet nouã, quoniam tres habet ſuperius numeratas: vinciturque à primis, nouis tribus differentiis. quinti verò accidẽtis comparationes, quoniam nullam retinent nouam differentiam: totis quatuor à primis generis tranſcẽduntur. Atque ad hunc modum, ex 20. differentiis ſecundum numerum, 10. ſecundum diſſimilitudinem contrahuntur. vt tamen has ſecundum diſſimilitudinem differentias nõ in quinto tantum numero, verùm in cæteris notas habere poſſimus: talis dabitur regula, quæ plenã differentiarum diſſimilitudinem in qualibet numeri pluralitate reperiat. Propoſitarum enim numero rerum ſi vnũ dẽpſeris, atq; id quod dempto vno relinquitur, in totã ſummã numeri multiplicaueris: dimidium eius quod ex multiplicatione factum eſt, coæquabitur ei pluralitati quam propoſitarum rerum differentię continebant. Sint ergo quatuor. a. b. c. d: his aufero vnũ, & fiunt tres. has igitur quater multiplico: fiunt. 12. horum ſi dimidium teneo, ſex erunt: tot erunt igitur differentiæ, inter ſe rebus quatuor comparatis. A quippè ad. b: &. c. ad d. tres retinet differẽtias. rurſus. b. ad c. &. d. duas: c. verò ad. d: vnam. quæ iunctę ſenarium numerum complẽt. Atque hanc quidem regulam ſimpliciter ac ſine demonſtratione nunc dediſſe ſufficiat: In prædicamentorũ verò expoſitione ratio quoque cur ita ſit, explicabitur.

Genera ſpeciebus priora ſunt, & accidentia ipſis poſteriora. nam omne ſubiectũ eſt prius accidente. quòd ſi quis obiiciat coloratum homine prius eſſe, quia poſito homine, ponitur coloratum: non contrà ſi eſt coloratum, ſequitur hominem eſſe: cum coruus, cignus colore afficiãtur. Reſpondendum eſt dupliciter: aut Porphyrium loqui de accidentibus quæ ſpecierum indiuiduis cõfuſe captis primò inſunt, vt grammaticum primò conuenit cuidam homini quàm homini: coloratum verò conuenit primò cuidam corpori, quod eſt indiuiduum vagũ corporis. Aut accidentia lõgè aliter ſeſe habere quàm genera. nam generibus corruptis, ſpecies omnino eſſe deſinunt: accidentibus verò, tantum ſecundum rem ſpecies pereunt, non ſecundum intellectum. *

Participare eſt alterius rationem ſuſcipere, participari eſt ſuam rationem communicare.

Nulla genera de ſuis ſpeciebus dicuntur inæqualiter, aliqua tamen accidentia remittuntur & intenduntur.

ET IN INDIVIDVIS primò conſiſtũt accidentia]. Neceſſe eſt omnia accidẽtia ineſſe, primò ſubſtantiis ſingularibus confuſe captis, deinde communibus: vt albedinem alicui corpori, deinde corpori. vel hic eſt loci ſenſus, Accidentia abſque indiuiduis intelligi non poſſunt, genera verò & ſpecies intelligi poſſunt.

Quidam volunt accidentia in ratione accidentis nunquam intelligi abſque ſubſtantiis certis aut confuſis. ſcribit enim philoſophus in ſeptimo metaphy. ſubſtantiam priorem eſſe accidentibus ratione. Si verò ſumantur accidentia vt ſunt eſſentiæ in propriis generibus, poterunt ſine ſubſtantiis intelligi. Scriptum eſt enim in prædicamento ad aliquid, patrem poſſe intelligi abſque homine, aut alio quod accidit.

ET QVOMODO ſe habet vnumquodque]. Duo ſunt accidentium quæſitiua, quale, & quomodo. Ad quæſitiuum quale reſpondentur qualitates, ad quomodo cętera, quibus etiam ſunt & propria, vt quantitati quantum: his quæ ſunt ad aliquid: quid huius. actioni, quid agens, & cætera quæ enumerauimus in cap. de genere.

QVARE QVINQVE cùm ſint voces.] Obiectionis Porphyrianæ & hęc eſt intelligentia. Cum quinque ſint voces, & ex comparatione vniuſcuiuſque ad reliquas quatuor, oriãtur quatuor differentiæ: viginti erunt vocum generales differentiæ. Nam quater quinque ſunt viginti. Quæ quidem dubitatio ſic ſoluitur. Cum ſingulas voces aliis comparamus, ſi velimus præcedentia ſequentibus nectere, viginti erunt generales differentiæ vocũ, ſed prima vltimis contexere non licet: habenda eſt enim ratio ſequentium. Quare decem erunt duntaxat vocum differentiæ & totidem generales communiones (Particulares enim plures ſunt), quatuor, ex cõparatione generis cũ reliquis, tres ex comparatione differentiæ, duæ ex comparatione ſpeciei, & vna ex collatione proprij ad accidens. Ex accidentis verò comparatione nulla erit, quia nihil habet poſterius, & eius ad præcedentia captæ ſunt differentiæ.

DE COMMVNITATE SPEciei & differentiæ.

Commune ergo differentiæ cum ſpecie eſt, quòd vtriuſque æqua cõmunio eſt. Aequè enim ſinguli homines hominis,& rationis differẽtia participant. Hoc etiam eis commune eſt,quòd ſemper adſunt iis, quæ eis participant. Semper enim Socrates eſt præditus ratione, & ſemper homo. Proprium autem differentiæ eſt, in eo quod quale quid eſt dici:ſpeciei, in eo quod quid eſt. Nã etſi homo qualitate aliqua affectus ſumitur, non omnino qualis erit:ſed vt cum genere coniunctæ differẽtiæ ipſum conſtituerint. Porrò differentia in multis ſæpè formis cernitur,vt quadrupes in multis animantibus ſpecie differentibus:ſpecies autem in ſuis ſolùm indiuiduis reperitur. Præterea prior eſt differentia ſpecie,quæ propter ipſam eſt. Hominem enim ſublatum rationis particeps tollit:homo verò ſi perimatur,rationis particeps(quoniam ſuperſit angelus)non perimet. Iam differentia cum alia differentia componitur,nam hominem ratio mortalitasque conſtituũt: ſpecies verò cum ſpecie non committitur, vt alia quædam ſpecies exiſtat. Nam cum aſina aliqua equus quiſpiam coit, ad muli generationem:at ſi omnino cum equa aſinus coëat,nunquam mulum conſtituat.

Ad ea quæ ſpeciei cum differentia communia ſunt,& reliquis,progreditur,in eoque inſiſtit, ac velut obtento fine conquieſcit. Communitates itaque differentiæ & ſpeciei duas tradit:diſtinctiones permultas. Ac primùm differentiæ proprium eſſe ait,in quæſtione dici qua quale quicque ſit,ſpeciei verò in ea qua quid quidque ſit,quæritur. Et quod ab aliquo in dubium verti potuit, in progreſſu ipſe diſſoluit. Cauſſam enim reddit quamobrem cùm rogatur qualis res ſit,differentia poſſit reſponderi commodè:cum verò quid ea ſit quærendo inueſtigatur,ſpecies. Quanquã & homo quale quodpiam animal nuncupatur. Si enim quid ſit Socrates rogemur,aptè animal reſpondebimus:at quale animal ſit ſi requiratur à nobis,hominem eſſe accommodatè reſpõdebimus. Itaque ſpecies cùm quale quid ſit quæritur,dicitur. Ait ergo ſpeciem qualitatem non eſſe propriè,ſed eò ſolùm quòd è differentiis eſt conſtituta. Dici enim in quæſtione qua rei vis & natura exquiritur,acceptas à generibus formas atque ſpecies habet:in ea verò qua quale quid ſit quæritur,à differentiis. Quale enim animal ſit ſi quis rogarit,rationis particeps & mortale ſcitè reſpõdemus. Species autem id ſunt à differentiis conſecutæ.

IAM DIFFERENTIA cum alia differentia]. Diſcrimen aliud differentiæ & ſpeciei exhibet. Nempè differentiam cum alia differentia copulari, vt aliud inde quippiam oriatur:quemadmodum quod rationis eſt particeps,quodque mortale,in hominis naturam atque eſſentiam concluſa ſunt. porrò vniuerſus homo ſi cũ vniuerſo equorũ genere cõiungatur, nihil poteſt gignere. Ratio autẽ vniuerſa ſi cũ vniuerſa mortalitate cõponatur,hominem cõſtituet. Quòd ſi ex equo & aſina mulus naſcatur, tũ non ex vniuerſis,ſed ex ſingulis rebus exiſtet. Aſinam enim ſi equus contrectet,mulum creabit:non is communis quidem & generalis:ſed ſi cum aſina hac coëat & committatur hic equus. Præterea coniunctæ differentiæ ad ſpeciei vnius generationem, ſi nihil inter ſe patiantur,ſuam quæque naturã nanciſcitur:veluti,ad vnius hominis procreationem ratio mortalitaſque concurrunt, itemque id quod mentis atque ſcientiæ capax eſt, nec ab horum quoquam occuluntur. At ſi aſinam equus ineat,indeque mulus naſcatur,quia ſpecies non ſunt,ſed indiuidua, idcirco ſuam in producto mulo eſſentiam neutrum ſyncerè conſeruauit. Sed aliud repentè quippiam,corrupta vtriuſque natura,extitit. Quocirca cum ſpecie ſpecies non copulatur.

BOETIVS. COMMVNE ERGO differentiæ cum ſpecie eſt,quòd vtriuſque æqua communio]. Quæ ſubſtantiam formant, nec remiſſione contrahũtur nec intenſione producũtur. vnicuique enim id quod eſt,vnum atque idem eſt. Quòd ſi differentia ſpecierum ſubſtantiam monſtrat,ſpecies verò indiuiduorum,æqualiter vtræque ab intenſione & remiſſione ſeiunctæ ſunt: quo fit vt æqualiter participentur.

Vt differentiæ ſui participantia non relinquunt: ita ſpecies iis quæ eam participant ſemper adiuncta eſt.

Proprium

PROPRIVM autem]. Expositis communitatibus quantum ad institutionem pertinebat, differentiæ & speciei:earundem nunc dissimilitudines colligit,dicẽs:quoniã differunt,quòd species in eo quod quid sit prædicatur,differentia autem in eo quod quale sit,huic differẽtiæ poterat quæstio occurrere.Nam si humanitas ipsa quæ species est,qualitas quidem est,cur dicatur species, in eo quod quid sit prædicari:cùm propter quandam suæ naturæ proprietatem, quædam qualitas esse videatur . Huic respondemus,quia differentia solum qualitas est : humanitas verò non solum qualitas est , sed tantum qualitate perficitur.Differentia enim superueniens generi speciem facit. Ergo genus quadam differentia & qualitate formatum est,vt procederet in speciem : species verò ipsa qualis est secundum differentiam illius,quæ est pura ac simplex qualitas,qua scilicet conficitur & conformatur.Qualitas verò ipsa pura simplexque non modò est:sed ex qualitatibus effecta substantia.Itaque iure differentia quæ purè ac simpliciter qualitas est , in eo quod quale est sciscitantibus respondetur,species verò in eo quod quid sit,iure respondetur:licet ipsa quoque quędam qualitas sit non simplex, sed aliis qualitatibus informata.

Secunda differentia sumpta est à definitionibus speciei & differentię,quemadmodũ & prima.

QVAEDAM enim equa cuidam asino permiscetur ad muli generationem]. Indiuidua enim indiuiduis iuncta,indiuidua rursus alia fortassè perficient: ipse verò equus simpliciter, id est, vniuersaliter,& asinus vniuersaliter,neque permisceri possunt, neque aliquid si cogitatione misceantur,efficiunt.

Absoluta prima comparatione quæ erat generis ad reliquas voces,aggreditur secundam quæ est differentiæ ad speciem,proprium,& accidens.

HOC ETIAM commune est, quòd semper adsunt his , quæ eis participant]. Necessarium tripliciter capitur:aut absolutè,vt necessarium est deum esse:aut quandiu fuerit subiectum , vt necesse est Platonem respirare:aut quandiu fuerit prædicatum , vt hominem grammaticum esse necesse est.Differentia igitur & species semper & necessario iuxta secundam necessarij significationem,inferioribus adsunt.

NAM ETSI homo qualitate aliqua affectus sumitur,nõ omnino qualis erit]. Occurrit obiectioni qua quis contenderet speciem in quale prædicari . Quicquid enim quale quid significat videtur prædicari,in quale:sed genera & species substantiarum,quale quid significãt. Species igitur in quale quid prædicabitur . At sane species ob differẽtiam qua informatur,in quale quid videtur prædicari.

PORRO differẽtia in multis sæpe formis cernitur].Sæpe adiunxit propter differentias simplices specierum specialissimarum.

PRAETEREA prior est differentia specie]. Vide Aristotelem in tertio capite sexti Topicorum.scribit enim oportere differentiam specie priorem esse, licet genere sit posterior.

IAM DIFFERENTIA cum alia differẽtia cõponitur]. Aristoteles ait in decimo tertio cap.septimi Metaphy. ex duobus existentibus actu nihil fit,atqui species actu existunt.ex duarum igitur specierum mixtura,haud nascetur species tertia. quòd si quis obiiciat , pari ratione ex duabus differentiis,quæ in specie actu existunt,secundum Porphyrium in cap.de differentia,speciem non fieri : Respondebimus vnam differentiarum esse in potentia respectu alterius , vt animatum secundum potentiam respicit sensitiuum.

Indiuidua diuersarum specierum possunt producere, indiuiduum tertiæ speciei,quãdo semen vnius temperat semen alterius.Sed dices,media ex contrariis extremis(vt tepidũ ex frigido & calido)cõponuntur:videbuntur itaque duæ species nouam constituere.Solutio. Ex contrariis temperatis & remanentibus secundum virtutem,tertium produci non est absurdum.

DE COMMVNITATE ET discrimine,differentiæ & proprij.

Differentia autem & proprium cõmune habent,quòd æquè illis participant ea,quibus cõmunicantur. Aequè enim id omne quod particeps est rationis,ratione participat:& æquè ad risum apta sunt ea,quę sunt ad risum apta.Illud etiam commune est,semper,& omnibus iis conuenire,in quibus ipsa perspiciuntur. Etsi enim bipes pede altero priuetur,tamen ad id quod natum est semper dicitur . Nam & aptum ad risum ex eo ad quod natum est intelligitur:non quòd rideat semper.Sed proprium differentiæ est,sæpè de formis

de formis dici pluribus,vt de angelo,& homine,rationis particeps:proprij autem de vna ſpecie,cuius eſt proprium.Inſuper differentia,ea quorum eſt differentia ſequitur:non tamen recurrit:propria verò cõuerſim de iis quorum ſunt propria dicuntur,propterea quòd conuertuntur.

Communitates duas differentiæ atque proprij tradit : quòd æqua vtriuſque fiat participatio: quodq́ue ſemper ea conueniant iis, in quibus perſpiciuntur . Neque enim Socrates magis eſt rationis particeps quàm Plato:neque ad riſum aptior:ſed æquè ratione participant, quibus à natura data ratio eſt,& æquè ad riſum propenſa ſunt,in quibus ea vis facultasq́ue reperitur. Quòd ſi aliũ alio magis compotem rationis eſſe dicimus,aliud quippiam tum ex eo, quod maiore quadam ratione præditum eſt,atque aliud ex eo,quòd ratione vtitur, intelligimus . Nec ratione inſtructam atque ornatam hoc loco eſſentiam venamur:ſed ad capeſſendas diſciplinas ratione prēditam affectionem,animiq́ue adeò quaſi habilitatem.Homo autem ſemper eſt rationis particeps , ſemperq; ad riſum ingenium aptum habet.Semper verò aptus ad riſum eſt,nõ quòd ſemper rideat:ſed quòd naturâ ad ridendum ſit aptus ſemper.Iam duo affert diſcrimina . Differentia enim ſpecies multas continet,& complectitur.Proprium autem in vna ſpecie,cuius eſt proprium reperitur. Illud etiã, quòd differentia quanquam ſpecies comitatur,non tamen viciſſim retrò commeat : ſiquidem iſta ſic reciprocantur,vt ſi quid homo ſit,ſit rationis particeps:non tamen ſic viciſſim, vt ſi rationis ſit particeps,homo ſit.At verò propriũ & viciſſim retrò cõmeat cum iis quorum proprium eſt,& ea ipſa cõſequitur.Si quid enim homo eſt,aptum eſt ad riſum:& ſi quid aptũ eſt ad riſum, homo eſt.

BOETIVS. Nunc differentiæ propriiq́ue communia,continua oratione proſequitur. Proprium & differẽtia conueniunt quòd æqualiter participantur . æquè enim omnes homines rationales ſunt , æquè riſibiles:illud quia ſubſtantiam monſtrat,iſtud quia eſt æquum propriè ſpeciei , & ſubiectam ſpeciem non relinquit.Aliud etiam his commune ſubiungit,æqualiter enim differentia ſemper ſubiectis adeſt vt propriũ. Semper enim omnes homines rationales ſunt:vt ſemper quoq; riſibile eſt.

Sed obiici poterat non ſemper eſſe bipedem hominem, cùm ſit bipes differentia:ſi vnus pedis perfectione curtetur.Quam tali modo ſoluimus quæſtionem. Propria & differentiæ non in eo quod ſemper habeantur : ſed in eo quod ſemper naturaliter haberi poſſunt , ſemper dicuntur adeſſe ſubiectis . Si quis enim curtetur pede , nihil attinet ad naturam : ſicut nihil ad detrahendum proprium valet,ſi homo non rideat . Hæc enim non in eo quòd adſint , ſed eo quod per naturam adeſſe poſſint : ſemper adeſſe dicuntur . Ipſum enim ſemper non actu eſſe dicimus:ſed naturâ. nunquam enim fieri poteſt:vt per naturæ ipſius proprietatem non ſemper bipes ſit , etiam ſi fieri poteſt,vt pede curtetur , vel etiã ſi diminuto pede ſit natus.In his enim nõ ſpeciei atque ſubſtantiæ,ſed naſcenti indiuiduo derogatur.

Sequi dicitur aliquid , quoties quomodolibet rem prius natura , poſterius reliqua conuenit nuncupari.

* ET SI enim bipes pede altero priuetur,tamen ad id quod natum eſt ſemper dicitur]. Videtur Porphyrius fateri differentiam ſpeciei ſecundum poteſtatem conuenire,quod falſiſſimum eſt, ſed Porphyrius inſpexit quandam potentiam quæ proficiſcitur à differentia.

Differentia ſimplex relata ad ſpeciem infimam non recurrit , generis tamen cõuerſim dici popoteſt,vt ſenſitiuum cum animali.

DE COMMVNITATE ET diſcrimine differentiæ & accidentis.

Differentiæ autem id cum accidente commune eſt , quòd de pluribus vtrunque dicitur : commune verò & cum accidentibus iis quæ ſeparari nõ poſſunt eſt,quòd & ſemper,& omnibus,quæ complectitur,conueniat. Bipes enim ſemper homini competit,& coruis omnibus , & quòd nigri ſint, ſimiliter.Differunt autem,quoniam differentia continet ſpecies, nec continetur(nam & angelum,& hominem particeps rationis comprehendit) accidentia verò modo quidem quodam continent,eò quòd in pluribus ſunt: aliquo verò modo continentur , quoniam non vnius modò accidentis capacia ſunt ſubiecta, ſed plurium . Præterea nec contendi nec remitti diffe-

rentia poteſt:at accidentia & augentur, & minuuntur. Inſuper permiſceri nequeunt oppoſitæ differẽtiæ:miſceri autem nonnunquam poſſunt & cõtraria accidentia. Et huiuſmodi quidem communitates ſunt ac proprietates, differentiæ, & aliorum. Species autem quid à genere differat, & differentia, tum diximus, cùm quid à cęteris genus differret, ac differentia oſtendimus. Reſtat igitur vt quid ſpecies à proprio diſtet & accidẽte doceamus.

Accidentis etiam & differentiæ communitates duæ ſunt. Communis eſt enim differẽtiæ cum accidente de multis dicendi ratio, quodq́ue ea ſemper formis cõueniant. Sed prior quidem communitas tam fixis & inconcuſſis accidentibus, quæq́ue elui funditus nequeunt, quàm iis quæ poſſunt ab eo in quo inhærent ſeparari conuenit: poſterior in fixum & immobile ſolùm cadit. Non enim ſemper homo ſedet, quemadmodum niger coruus ſemper eſt. Diſtinctiones autẽ tres ſunt. Nanque ſpecies differentia cõtinet. Latiùs enim rationis particeps quàm homo patet. Accidentia verò & continentur, & continent. Nam vt atror non in Aethiope ſolùm, verumetiam in coruo & aliis quibuſdam cernitur, continet: vt verò & alia in Aethiopem cadere accidentia poſſunt, continetur. Iam verò modo quodam adiecit, quoniam propriè accidentia neque continentur, neque continent. Non eſt enim Socrates alio rationis particeps magis, niſi doctrinâ ſolùm, quæ habilitas animi quædam eſt, rationis compote eſſentia (vt ſuprà dixi) non item. Præterea accidens intentionem capit & remiſſionem. Etenim Aethiops alius alio Aethiope nigrior eſt. Inſuper contrariæ differentiæ miſceri iungiq́ue inter ſe non poſſunt: non enim rationis particeps expersq́; rationis coniunguntur. Atror autem & nigror permixta, rubidum colorem rufumq́ue conſtituunt. Quare poſſunt oppoſita inter ſe accidentia permiſceri.

Duo quidem differentiæ & accidentis communia ſunt, quorum vnum inſeparabilibus & ſeparabilibus accidẽtibus cum differẽtia cõmune eſt. Ab altero verò ſeparabile accidens ſeparatur: tantum verò inſeparabile ſecundo cõmuni clauditur. Eſt enim cõmune differẽtiæ, cum omnibus accidentibus: de pluribus prædicari. Nam & ſeparabilia & inſeparabilia accidentia, ſicut differẽtia de pluribus prædicantur. Reliqua verò communitas, ea tantum accidentia videtur includere, quæ ſunt inſeparabilia. Sicut enim differentia ſemper ſubiectis ſpeciebus adhæreſcit: ita etiam inſeparabilia accidentia nunquam videntur deſerere ſubiectum. vt enim bipes quod eſt differentia, nunquam ſpeciem coruorum derelinquit: ita nec nigrum quod accidens inſeparabile eſt. differẽtia verò iccirco non relinquit ſubiectum: quoniam eius ſubſtantiam complet ac perficit. Accidens verò huiuſcemodi eſt: quoniam non poteſt ſeparari, neque enim poſſet eſſe accidens inſeparabile: ſi ſubiectum aliquando relinqueret. BOETIVS.

DIFFERVNT autem, quoniam differentia continet ſpecies]. Poſt differentiæ & accidentis redditas communitates: nunc de eorum differentiis tractat, ac primùm quidem tale proponit. Differẽtia quidem omnis, ſpeciem continet (rationabilitas enim continet hominem, quoniã plus quàm ſpecies, id eſt, homo prædicatur, ſupergreſſa enim ſubſtantiã hominis, in deum vſq; diffunditur). Accidentia verò aliquãdo continent, aliquando continentur. cõtinent quidem: quia quodlibet vnum accidens, ſpeciebus adeſſe pluribus conſueuit, vt album cigno & lapidi: continentur verò, quoniã plura accidentia vni accidũt ſpeciei, vt videatur illa ſpecies plura accidẽtia cõtinere.

Quemadmodum accidens continet, quia pluribus ſpeciebus conuenit, & continetur quoniam plura accidentia accidunt vni ſpeciei: ita differentia aliquo modo videtur continere: & aliquo modo contineri. nam differentia prædicatur de pluribus ſpeciebus: ergo continet. eſt & plurium differentiarum capax, ergo continetur. reſpõdendum eſt ſpeciem viciſſim ſuſcipere contraria differentia. *

INSVPER permiſceri nequeunt oppoſitæ differentiæ]. Differentiæ oppoſitæ ſubſtantiales nunquam iunguntur ad compoſitionem alicuius tertiæ ſpeciei: accidentia verò contraria, coniunguntur ad compoſitionem alicuius tertij. Quare hic locus intelligendus eſt de differẽtiis ſubſtantiarum non accidentium. nam ſi contraria accidentia iungantur, oportet eorum differentias contrarias miſceri, vt ſi ex albo & nigro mixtis fiat aliquis medius color, eorum differentiæ temperabuntur, nec propterea duo contraria erunt ſimul in eodem ſubiecto, quia amittunt ſuam vim obtuſaq́ue remanent.

Si contraria accidentia miſcerẽtur ad compoſitionem vnius tertij, oporteret ex mixtione ſpecierum naſci ſpeciem, hoc autem negatũ eſt ſuperius. reſpondendum eſt contrarias ſpecies poſſe miſceri, modo non retineant ſuam vim, nec remaneant actu, ſed tantùm poteſtate. Obiect...

DE COMMV-

DE COMMVNITATE Speciei & proprij.

Commune igitur ſpeciei cum proprio id eſt, quòd de ſe mutuò enunciantur. Nam ſi quid homo eſt, aptum eſt ad riſum: & ſi quid aptum ad riſum, homo. Iam aptum ad riſum ex eo intelligendum eſſe quod ad ridendum natum ſit, ſæpè diximus. Commune etiam eſt, quòd ex æquo inſunt. Nam ex æquo ſpecies in iis inſunt, in quibus reperiuntur: & propria in iis quorum ſunt propria.

Abſoluta differentiarum explicatione, ad ſpeciem accedit: dicitque ſpecies quid à genere differret & differentia, quidque cum illis commune haberet, dictum eſſe tum, cùm illa cum hac conferretur. Supereſt igitur, vt quid à proprio & accidente interſit, dicamus. Speciei igitur cum proprio cōmunitates duæ ſunt. Quòd inter ſe reciprocētur, & retrò commeent. Si quid enim homo eſt, ridendi habet facultatem: ac ridendi ſi quid habet facultatem, homo eſt. Riſus autem facultas ex eo quòd natum quippiam ſit ad riſum, intelligenda eſt. Quodque æquè & ſpecies iis conueniant quibuſcum communicentur, & propria iis quorum ſunt propria. Aequè enim (quod ad naturæ rationem attinet) & rationis particeps quisque eſt, & ad riſum aptus. Multas autem differentias exponit. Nimirum quoniam ſpecies aliorum eſſe genus poteſt, vt animal, quod animati ſpecies eſt, hominis autem ac equi, genus.

BOETIVS. Commune habent proprium atque ſpecies, ad ſeipſa prædicationes habere conuerſas. Nam ſicut ſpecies de proprio: ita proprium de ſpecie prædicatur. nam vt eſt homo riſibilis, ita riſibile homo eſt. aliter conſpirant & cōſentiunt. Species & propriū: æqualiter de ſuis inferioribus prædicantur. Socrates enim & Plato ex æquo ſunt homines & riſibiles.

* De ſpecie prædicatur apte proprium, de proprio ſpecies minime.

Prædicari æqualiter, aliquando eſt prædicari conuerſim.

DE EORVM DIFFERENTIA.

Hoc verò differunt, quòd ſpecies aliorum eſſe genus poteſt: proprium autem aliorum vt ſit proprium, fieri non poteſt: quodque ſpecies antè cohæret, quàm proprium: proprium autem ſpeciei accidit. Hominem enim eſſe oportet, vt aptum ſit ad riſum. Ad hæc ſpecies actu ſemper in ſubiecto ineſt: proprium interdum, & poteſtate. Actu enim ſemper Socrates homo eſt: ridet autem nō ſemper: quanquam ad riſum ſemper natus eſt. Prætereà quorum definitiones diuerſæ ſunt, ea inter ſe diſcrepāt: at ſpeciem eam dicimus, quæ ſub genere ſubiecta eſt, quæque de multis numero differentibus in eo quod quid eſt dicitur, & ſi quid eſt eiuſmodi: proprium, quod ſoli, & omni, & ſemper conuenit.

Speciem ὑπάλληλον, non vltimam intelligit. Proprium autem alterius eſſe proprium nō poteſt. Ac ſpecies proprio prior eſt, ſiquidem nuſquam niſi in homine eſſe poſſit riſus facultas: proprium verò ſpecie eſt poſterius. Deinde, ſpecies in ſubiecto reipſa actuq; ſemper eſt (ſemper enim Socrates homo eſt) proprium autem in re ſubiecta ſemper non ineſt reipſa, ſed ſola interim facultate. Non enim ſemper ridet homo, quāquam ſemper ad riſum aptum animum habet. Tum verò, quorum diuerſæ adferuntur definitiones, ſunt omnino & ipſa diuerſa. Hoc autem reliquis etiam vocibus quatuor accommodari poteſt. Etenim in genere & reliquis dicere etiā poſſumus, Quorum definitiones diuerſæ ſunt, ea inter ſe differre.

BOETIVS. Primam proprij & ſpeciei differentiam dicit, quoniam ſpecies poteſt aliquando eſſe genus: vt animal cū ſit ſpecies animati, poteſt eſſe genus hominis. ſed non de his ſpeciebus loquitur quæ ſunt ſpecialiſſimæ. Atque hunc confundere videtur errorem, ꝙ cùm de his ſpeciebus dicere propoſuerit, quæ ſunt vltimæ: nunc de his quæ ſunt ſubalternæ, ſæpe locum generis obtineāt, diſſerit. Propria verò aliarum ſpecierum non poſſunt eſſe. Rurſus ſpecies prius ſubſiſtit quàm proprium, nō quidem prius tempore, ſed intellectu. Omne enim proprium in accidentis genere collocatur. Eo enim differt ab accidente: quia circa omnem ſolam quamlibet vnā ſpeciem, vim propriæ prædicationis

dicationis continet. quòd ſi priores ſunt ſubſtantiæ quàm accidentia , ſpecies verò ſubſtantia eſt, proprium verò accidens,non dubium eſt quin prior ſit ſpecies,proprium verò poſterius.Diſcernuntur etiam prioris actu poteſtateq́; natura.Species enim actu ſemper indiuiduis adeſt : propria verò aliquoties actu,poteſtate autem ſemper.Socrates enim & Plato actu ſunt homines, non verò ſemper actu rident,ſed riſibiles eſſe dicuntur,tametſi non rideant,ridere tamen poterunt. Naturâ itaque ſpecies & proprium ſemper ſubiectis adeſt,ſed actu ſpecies, proprium verò non ſemper,vt dictum eſt. Quartò,quorũ definitiones variant & diſcrepant,ipſa differunt.atqui definitiones ſpeciei & proprij euariant.Igitur ſpecies & proprium euariant.

Prima differentia intelligenda eſt de ſpecie ſubalterna,quæ tantum ſubiicitur, à qua Porphyrius ſeparauit proprium,vt indicaret proprium nõ tantum diſtingui à ſpecie infima, ſed & a ſubalterna. Cùm proprium ſit de accidentium genere , ipſo ſpecies quæ eſt ſubſtantia , prior eſt ſecundum naturam & cognitionem. *

Proprium dicitur eſſe aliquando & non ſemper actu, propter operationem ad quam refertur aptitudo.Licet ſecundum potentiam adſit ſemper actu,& nunquã ſubiectum deſerat. ſpecies verò facultatem non ſignificat,& proinde ſemper eſt actu.

Quæcunque diuerſas habent definitiones, illa ſunt diuerſa . ſed proprium & ſpecies diuerſo modo definitionibus explicantur.igitur diſcrepant.

DE COMMVNITATE ſpeciei & accidentis.

Speciei autem cum accidente commune quidem eſt , de multis enunciari.Raræ verò ſunt aliæ communitates,quoniam accidens, & id cui accidit aliud,diſtant inter ſe plurimùm.

Speciei cum accidente communitatem vnam tradit , diſtinctionesq́ue varias . Porrò cauſſam etiam affert,quamobrem conuenientiam vnicam, multasq́ue differentias explicet : de qua & nos paulò antè diximus.Nempè quia inter quæ latum ſit diſcrimen,in iis raras conuenientias,multaq́; diſcrimina reperiuntur.Contrà autem,quæ intima naturæ ſocietate conſtricta ſunt , paucas diſſimilitudines,multasq́ue communitates ſortiuntur.Vtriuſque igitur id commune eſt,quòd in multis dicantur.Nam homo,& de Socrate, & de Alcibiade,reliquisq́ue enunciatur . Itemq́ue nigror de Aethiope,& de coruo,& de aliis prætereà multis.

Speciei & accidentis ſimilitudinem cõmunem dicit,de pluribus prædicari: de pluribus enim dicitur ſpecies,ſicut & accidens. Raras verò dicit alias eſſe eorum cõmuniones : iccirco quoniam longe diuerſum eſt id quod accidit , & cui accidit . cui enim accidit,ſubiectum eſt & ſuppoſitum: quod verò accidit,extrariæ eſt atque aduenientis naturæ.Item quod ſupponitur ſubſtãtia eſt:quod verò velut accidens prædicatur,extrinſecus venit . Quæ omnia multum ſeparant accidens à ſubiecto,tamen inueniri etiam aliæ poſſunt ſpeciei & accidentis inſeparabilis communitates,vt ſemper ſubiectis adeſſe.ęquè enim homo ſingulis hominibus ſemper adeſt:& inſeparabilia accidentia ſingulis indiuiduis præſto ſunt. BOETIVS.

Vnam duntaxat tradit ſpeciei & accidentis communionem , eo quod ſubiectum & accidens multum differant. *

DE EORVM DIFFERENTIA.

Propria verò ſunt vtriuſque : ſpeciei quidem in eo quòd quid eſt de iis quorum eſt ſpecies dici : accidentis autem in eo quod quale quid eſt , aut quomodo ſe habet . Et quòd vnaquæque ſubſtantia ſpecie vna participet: accidentibus verò multis,iis quæ ſeparari poſſunt,& quæ nõ poſſunt.Prætereà ſpecies antè intelligitur quàm accidentia : etiam ſi ea ſeparari nõ poſſint.Prius enim cõſtare ſubiectum decet,vt ei quippiam accidat . Accidentia autem poſterius naſci ſolent,habentq́ue ſuam omnem naturam in ſubſtantia cohærentem . Adde , quòd ſpeciei æqua ſit participatio : accidentis autem,et ſi id ſeiungi non poſſit,non item . Aethiops enim Aethiope habebit colorem vel intenſum magis vel remiſſum iuxta nigrorẽ . Nam Aethiops alius alio nigrior reperitur . Nunc reſtat vt de proprio & accidente dicamus.

dicamus. Nam quid à ſpecie, & differentia, & genere differat proprium, diximus.

Proprium autem ſpeciei eſt in quæſtione qua quid quidque ſit quæritur, de iis dici, quorum eſt ſpecies:accidentis autem in ea qua quale quid ſit,aut quomodo affectum ſit. Vt enim affectus ſit Aethiops ſi rogemur,ægrotare eum vel valere dicimus.Species autem quanquam in quæſtione qua qualitas inueſtigatur dicitur,id tamen à differentiis hauſit,vt ſuprà diximus.

QVOD vnaquæque ſubſtantia ſpecie vna participet,accidentibus verò multis]. Vt,narium aduncitate,ſimitate,nigrore.Præterea prior eſt ſpecies,atque poſterius accidens: hominem ſiquidem eſſe oportet,ac nigrum eſſe deinceps.Inſuper ſpeciei æqua eſt,parque communio. Nam ratione eadem Socrates ac Plato homines ſunt:atri autem & candidi,non item.

AETHIOPS enim Aethiope habebit colorẽ, vel intenſum magis]. Ad ea quæ proprio ſunt cum accidente communia pergit,ac diſputationem abſoluit.Ait ergo quid propriũ à ſpecie, quid à differentia & genere differret,dictum eſſe,quando illa cum eo comparabantur.

BOETIVS. Quadrupliciter ſpecies & accidens diſcrepant.Primò, ſpecies prædicatur in quid,accidens in quale,vel quomodo ſe habet.Secũdo,vnaquæq; ſubſtãtia,vna ſpecie participat,accidentibus verò pluribus,id eſt,vnicuique ſubſtantiæ vna ſpecies præeſt.At verò vnicuique ſubſtantiæ non vnum accidens iungitur.vnicuique enim ſubſtantiæ plura ſemper accidentia ſuperueniunt, vt Socrates dicitur caluus,ſimus,patiens,philoſophiæ amãtiſſimus.Tertiò,ſpecies prior eſt accidentibus. niſi enim ſit homo,cui accidit aliquid,accidens eſſe non poterit.& niſi ſit quælibet ſubſtantia, cui accidens poſſit adiungi,accidens non erit.Omnis autem ſubſtantia,propria ſpecie continetur.rectè igitur prius ſpecies:accidentia verò poſterius intelliguntur. Poſterioris enim ſunt generis & aduentitiæ naturæ. nam quæ ſubſtantiam non informant, rectè aduentitiæ naturæ eſſe dicuntur, & poſterioris generis.Quartò,ſpecies æquam ſui participationem indiuiduis cõtribuunt. Accidens verò poteſt intentionis remiſſioniſque cremento & incremento uariari,vt ipſum inſeparabile accidens,quod æthiopibus ineſt,ſcilicet nigredo.

* Primæ ſubſtãtiæ vni tantùm ſpeciei ſpecialiſſimæ ſubiiciuntur,& pluribus accidentibus. Igitur hoc diſcrimine ſeparatur ſpecies ab accidentibus.

Species dicuntur eſſe priores accidentibus, quia ſi accidentia per hypotheſim exiſterent,tantum in vna ſpecie ſpecialiſſima:abſque illis intelligeretur.

Non verum eſt omnia accidentia contentionem & remiſſionẽ ſuſcipere:nam quantitates cum aduerbiis magis & minus, non prædicantur.

DE COMMVNITATE PROPRIJ & accidentis.

Commune autem proprio cum accidente quòd ſeparari non poteſt eſt, quod præter ea nunquam illa conſiſtant,in quibus perſpiciuntur. Vt enim ſine riſus facultate non conſiſtit homo, ſic nec ſine nigrore conſtare Aethiops non poteſt. Ac quemadmodum ſemper & omni adeſt propriũ: ſic & indiſcretum accidens.

Meritò fixum accidens,quodque ſeparari non poteſt annexuit.Hæc enim ſi ſecernantur,facilè illud(accidens inquam mobile)ſecerni etiam poterit.Quod ad alia verò pertinet,nulla penè proprio cum accidente quod ſeiungi poteſt,communio eſt. Itaque commune hoc proprio cum indiſcreto accidente eſt,quòd illa in quibus cernuntur,cõſtare ſine ipſis nullo modo poſſunt. Nam vt ſine ridendi facultate hominem,ita ſine nigrore coruum nõ reperias. Et quemadmodum ſemper homo ad riſum aptus eſt,ſic niger ſemper coruus eſt.Porrò autem nec in formis quoque omnibus ſemper illud ineſt accidens,quod reuellli de ſubiectis poteſt: neque enim homo ſemper ſedet,& eo interdum nudus deſtitutuſque cernitur.Socratem enim,vt non ſedeat,intelligere poſſumus.Ad eas igitur res,quarum inter ſe ſocietate proprium & inconcuſſum accidens coniunguntur,accidens quod abeſſe poteſt non accedit.In iis verò quibus differunt, maximè & illud à proprio diſcrepat.

BOETIVS. Quoniam proprium ſemper adeſt ſpeciebus,nec eas vllo modo relinquit, quoniamque inſeparabile accidens à ſubiecto non poteſt ſegregari:hoc illis inter ſe videtur eſſe commune,quòd ea in quibus inſunt præter propria vel inſeparabilia accidentia eſſe non poſſunt. Inſeparabilia verò accidentia comparat proprio:quoniam vt in ſpecie dictum eſt,rariſſimæ ſunt ſpeciei, atque accidentis ſimilitudines. quocirca multò magis proprij atque accidentis communitates difficilè reperiuntur.

periuntur. Accidens enim in contrariũ diuidi ſolet in inſeparabile accidens atq; ſeparabile: quæ verò ſub genere in contrariũ diuiduntur, ea nullo alio niſi tantũ generis prædicatione participāt. quòd ſi propriũ inſeparabile quoddam accidens eſt, à ſeparabili accidente plurimũ differt, atque ideo multas proprij & ſeparabilis accidentis ſimilitudines quærit. Sed quoniam ipſum certis quibuſdam cauſis ab inſeparabilibus accidentibus differt, horum & cõmunitates inueniri poſſunt, & inter ſe differentiæ: quarum vna quidem ea eſt, quam ſuperius expoſuimus. Secunda verò, quoniam ſicut propriũ ſemper, & omni ſpeciei adeſt: ita etiã inſeparabile accidens. Nam ſicut riſibile omni homini, & ſemper adeſt: ita etiam nigredo omni coruo, & ſemper adiuncta eſt.

Hoc intelligendum eſt de conſiſtentia ſecundum rem. nam ſine proprio & accidente inſeparabili ſpecies intelliguntur. *

Secunda ſimilitudo tribuenda eſt accidentibus naturalibus. nam quædam non ſemper fuerunt, vt cicatrix.

DE EORVM DIFFERENTIA.

Differunt autem quoniã proprium vni ſoli ſpeciei adeſt, vt homini aptũ eſſe ad riſum: indiſcretum verò accidens, vt nigrũ, non ſolùm Aethiopi, ſed etiã coruo adeſt, & carboni, & ebeno, & quibuſdam aliis. Præterea propriũ conuerſim de eo, cuius eſt proprium dicitur, & æquè patet: accidens autem quod ſeparari non poteſt, conuerſim non dicitur. Et propriorum quidem æqua eſt participatio, accidentium verò alia maior, & alia minor. Sunt quidem aliæ cõmunitates & proprietates eorum quæ dicta ſunt: ſed hæc ſufficient ad diſcretionem eorum, communitatiſque comprobationem.

Differt autem ab accidente conſtante atq; perpetuo propriũ, quòd proprium vni modò ſpeciei cõuenit. Id enim quod ad riſum aptum eſt, in homine ſolo ſpectatur: nigror autē, quod accidēs eſt immobile, nõ ſolùm homini cõuenit, ſed coruo etiam, aliiſq; permultis. Atq; propriũ quidem, & id cuius eſt proprium reciprocantur. quò fit etiã, vt in omnibus æquè inſint. Nam ſi quid homo ſit, etiam aptum erit ad riſum: & ſi quid aptum ad riſum, homo. Aequè enim ad riſum Socrates & Plato proni procliueſq; ſunt. Accidens autem id quod ſeparari non poteſt, non reciprocatur: ob eamq; cauſſam, ne æqua quidem eius ſit participatio. Nam ſi quid coruus eſt, atrum eſt: nõ ſi quid atrũ, coruus. Atq; etiã (vt antè dixi) Aethiops alius alio colore nigro poteſt magis imbui & infici. Alius verò alio ad riſum non eſt aptior. Intelligendum eſt autē, Porphyriũ non dicere illa in quibus propriũ atq; accidens perſpiciuntur, cõſtare abſq; illis non poſſe (nam eſſentia vi ſua cohæret, ſuiſq; tanquã radicibus nititur) ſed ſine proprio & accidente conſtare naturas nullo modo poſſe: non quia naturæ ſint, ſed per ſeſe: propria, inquam, & accidentia. Nam muſicus Socrates, vt Socrates eſt, ſine muſico cohæret: vt autem muſicus, ſine muſico conſtare nullo modo poteſt.

Proprium vni tantum ſpeciei ineſt, vt riſibile ſoli homini. accidens etiam inſeparabile, vt nigrum, non ſolùm ineſt vni ſpeciei ſed pluribus. conuenit enim æthiopi coruo & ebeno. Secundò, ea eſt vis & natura proprij, vt ex æquo & conuerſim prędicetur de eo, cuius eſt proprium: non autem accidentis, tametſi fuerit inſeparabile. Nam quod homo eſt riſibile eſt, & contrà quod riſibile eſt, homo eſt: nigrum verò non ita, ſed ipſum quidem de iis prædicari poteſt quibus ineſt: illa verò ad huius prædicationem conuerti retrahiq; non poſſunt. Nigrũ enim de carbone, coruo & ebeno prædicatur. hæc verò de nigro minimè. Tertiò, æqua eſt proprij participatio, accidens verò intenſionibus & remiſſionibus variatur. BOETIVS.

Ebenus arbor eſt quæ in India naſcitur, cuius lignum nigredine reſplendens, oculis pergratũ eſt, ſuiſque regibus huius ligni tributum Perſæ pendere ſolent. *

Proprium ex ſua vi & natura conuerſim prædicatur. Accidens verò ſolùm per hypotheſim, aut ſaltem ad tempus.

FINIS.

ERRATA.

Fo.9.linea 16.a.lege quædam eſt. & ibidem lin.31.illi. Fo.12.lin.15.b, vt metaphyſicæ. Fo.25.lin.48.a.oppoſita. Fo.34.lin.46.a.trita. Fo.40.lin.10.b.accidens &c.cõtinua ſint pręcedentibus. Fo.46.lin.46.a.capax ſpecies &c.Ibidem pro contraria differentia, lege contraria accidentia, non autem differentias oppoſitas.


25
68


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm